


Continentur hoc volumine.


1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaej questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaej Oratio contra Atheos cum iustitia Dei spugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmannij disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinojij disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an et quomodo ea inter se et ab essentia differant. R. Heringes.
9. M. Hundshagen de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommex
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine anime rationalis R. Laubingon.

Sammelband

64
26

13. Reiboldij Quæstio: An in generatione hominis anima
 patris emanet ab anima parentis? & Plogkij.
14. M. Eccardij disp. de Creatione & Haken.
15. M. Gouss de immortalitate animæ humane
 & Diefelius.
16. M. Hundobhagen disp. de Anima separata &
 Rötiger
17. M. Adonna disp. III. de Geniis (Deorum et hominum)
18. D. Lysenij disp. de vera Religione primi mundi usq[ue]
 ad Abrahamij tempora public. & Weller.
19. Ex Basilio magno Ecclesiarum status præ
 sentis luculenta et pulchra hypotyposis,
 s. quærinonia de ecclesiastica disciplina.
20. Præadamitæ sive Exercitatio super vsib[us] 12. 13.
 et 14. Cap. V ad Rom. quibus inducuntur primi
 homines ante Adamum conditi.
21. Hilperti Dissertio de Præadamitis Anonymo
 exercitationis et Systematis Theologicij auctori oppo-
 sita
22. D. Albertij Grauerij libellus de unica veritate
23. M. Scheurl de causis hæreseon, et iis quæ ad
 hæreticorum technas evitandas et Logice
 præcipue beneficio refellendas spectant. & Zuckerman.





4.
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

3
QVÆSTIONE,

An ductu luminis naturæ & principi-
piorum rationis homo ad salutem
æternam pertingere pos-
sit?

recentioris cujusdam Scriptoris opinioni
opposita,

&

PRÆSIDE

JOHANNEMUSÆO,

SS. THEOL. D. & P. P.

publica ventilationi


subjecta,

ANNO CHRISTI
MDC LXVII.



J E N Æ,

Typis JOH. JACOBI BAUHÖFERI.



RESPONDENTIUM PARTES
sustinuerunt

CAROLUS CARLSSON,

CALM. SVECUS,
à n. I. usque ad n. LXIV.

IUSTUS PHILIPPUS Meyenberg/

CLAUST. CHER.

à n. LXIV. usque ad finem.



M DC LXXII



Typis JOH. JACOBI BARTHOLAEI





I.



DE THEOLOGIA NATURALI:

Sufficiatne homini ad consequendam salutem æternam? quæstio consideratu ut digna, ita & necessaria est, hoc imprimis tempore, quo passim reperiuntur, qui dissidiis de capitibus Christianæ religionis controversis offensi, eò abeunt temeritatis, ut fundamenta salutis certa, indubitata, omnibusque, quotquot inde à condito mundo fuerunt, & deinceps futuri sunt, populis & Gentibus obvia, Theologiæ Naturalis ductu, è communi potius providentiâ divina, ipsaq; naturâ, quàm ex revelatione supernaturali accersenda statuunt. Neque enim divinæ bonitati consentaneum judicant, viam, quâ aditus patet ad salutem, ita esse angustam, ut non nisi intra Ecclesiæ Christianæ cancellos, nec aliter, quàm per fidem Christianam pervenire ad eam liceat, Gentilium, Turcarum & Judæorum multitudine universâ exclusâ: cum tamen doctrinâ fidei Christianæ pluribus implicata controversiis, & innixa ei Ecclesiæ ita in partes distracta sit, ut jactis in se invicem anathematismis altera alteram damnet.

II. Ut alios, cum veteres tum recentiores Scriptores, qui in hanc descenderunt opinionem, nunc taceamus, circumferuntur hodiè, & multorum teruntur manibus, *Viri* cujusdam *Illustris scripta bina*, alterum *de Veritate*, prout distinguitur à Revelatione, à verisimili, à possibili & à falso; alterum *de Religione Gentilium*, errorumq; apud eos causis; in quibus inter alia Auctor id dat operam, ut quæ mortalibus ad consequendam salutem sive cogniti sive factu necessaria sunt, quinque ex communi providentiâ divinâ deductis articulis, quos COMMUNES CIRCA RELIGIONEM NOTITIAS appellat, contineri persuadeat,

A

III. Ar-

III. Articuli hoc enumerantur ordine :

I. Esse supremum aliquod Numen.

II. Supremum istud Numen debere coli.

III. Virtutem cum pietate conjunctam, precipuam partem cultus divini habitam esse, & semper fuisse.

IV. Horrorem scelerum hominum animis semper insedisse; adeoque illos non latuisse, vitia & scelera quacunq; expiari debere ex penitentia.

V. Esse premium vel pœnam post hanc vitam.

IV. Hosce quinque articulos ubi in Opusculo de Veritate à pag. 268. pluribus inculcavit, & in lumine naturæ fundari ostendit, subjicit pag. 283. *Hæ sunt omnino Notitiæ communes, ex quibus vera Ecclesia catholica sive Universalis constat. Neque enim illa macerie quacunq; sive lapide exciso & calce vivâ, sive marmore extructa quadam moles, Ecclesia quæ errare non potest, nuncupanda est. Immo nec ipsi homines, sive dicto sive scripto sua promiscuè & tumultuariè effutientes suffragia, Ecclesiam verè catholicam constituunt; minùs adhuc quæ sub aliquo vexillo particulari militans, vel in aliquem gregem compulsæ, angustiis alicujus orbis terrarum partis vel sæculi concluditur, Ecclesia verè catholica sive Universalis censenda est; sola Catholica, sola per omnes sæcula Ecclesia est NOTITIARUM COMMUNIORUM DOCTRINA, omne spatium, omnem numerum complens. Hæc sola enim Providentiam Divinam Universalem, sive naturæ sapientiam pandit. Hæc sola rationem, unde Pater communis invocatur Deus Opt. Max. exponit, extra hæc deniq; nulla salus &c.*

V. In Tractatu autem de Religione Gentilium cap. XV. persuasum vult lectori, non solum in Dei summi cultu, sed & in eodem principio saltem cultus genere, Gentiles cum Christianis concordasse, & ubi de recepto Gentilibus cultu, quamvis erroribus haud parùm contaminato, prolixius disseruit, pag. 210. in hæc tandem definit verba: *Hic (ut in pluribus aliis religionis articulis) veritatem eximiis verisimilibus, possibilibus, & falsis suis temerabant, & ferè deprimebant Gentiles; perinde facientes, ac qui ædificium ipsum in se solidum ex tecti pondere propemodum obruerent: nihilominus non solum quatuor articuli supra memorati semper steterunt,*
nempe

nempe 1. esse Deum summum 2. coli debere : 3. virtutem esse practi-
 puam cultus divini partem : 4. resipiscendum esse à peccatis : sed et
 hic ultimus, dari præmium & pœnam, tum in hac vita, tum post
 hanc vitam, stetis, in æternumq; stabit. Quantumvis enim supra
 eorum basin sexcenti errores accumulentur, ex quinque tamen hisce
 columnis, inter se nexis, ita fulcitur cultus divinitatis, ut moles qua-
 cunq; (uti in fornicato opere videre est) hisce superposita, hand labe-
 factare vel locum movere possit edificium. Hæc igitur Providentiæ
 Divinæ Universalis, CASTRÆq; RELIGIONIS SUNT FIRMA-
 MENTA ILLA, quæ nullo defuere vel deesse possunt sæculo vel re-
 gioni.

VI. Hæc ille: quæ si imperitorum animis instillentur, quò
 tandem evasura sint, nemo non intelligit : eò scilicet ut avocati à
 Scripturis Sacris, quæ qualiter Deus agnosci & coli velit, solæ do-
 cere possunt, docentq; ad iudicium humanæ rationis, quæ Pa-
 trem pariter ac Filium, & in quo uterque invocandus est, Spiri-
 tum S. ignorat, ejusq; vanos *διωλογισμους* deducantur, & de suf-
 ficientiâ illorum quinque articulorum, qui in omni inveniun-
 tur religione, temerè persuasi, religionibus omnibus ex parte,
 ex toto nulli sincerè animum adjiciant, tandemq; spe salutis
 extra Christum, extra quem tamen non est salus, Act. IV, 12. & per
 quem solum habemus aditum per unum Spiritum ad Patrem, Eph. II,
 18. in iisdem quinque articulis frustra defixâ, in Atheismum
 prolabantur, & sint absq; Christo, alieni à republica Israelis, & ex-
 tranei à fœderibus promissionis, spem non habentes, & *ἀθεοί*, i. e. sine
 Deo, sive ut Beza reddit, *expertes Dei in mundo*, Eph. II, 12.

VII. Nonnullum igitur operæ pretium facturos nos spe-
 ramus, si re altiùs ex suis principiis accersitâ, quæstionem su-
 præ propositam, hinc uberiùs expendendam sumamus, & quæ
 ad adstruendam ejus partem affirmativam Auctor prædictus
 ultrò citroq; affert, objicit & respondet, excutiamus.

IX. Theologiæ Naturalis appellatione autem quid in-
 telligendum veniat, operosâ explicatione non indiget. Habi-
 tum enim cognoscendi Deum, principiis naturæ & rationis in-
 nixum, intelligi debere, vel ipsæ voces indicant. Theologia
 enim, vi vocis, est habitus cognoscendi Deum, vel de Deo dis-



serendi. Vox *Naturalis* autem, differentiæ causâ adjecta, rationem cognoscendi, revelationi supernaturali contradistinctam, importat, quæ non in alio, quàm in naturæ & rationis principiis constitui potest. Differunt enim inter se *Naturalis* & *Revelata*, ut sic dicam, *Theologia*, quòd cum utraque sit habitus, circa Deum & divina occupatus, illa *naturæ & rationis principii*; hæc *supernaturali Revelatione*, tanquam ratione cognoscendi propriâ, nitatur.

XI. Quemadmodum autem Deus modis duobus considerari à nobis potest: Uno *in se absolutè, ut est ens, à materia re & ratione abstractum*; altero in ordine ad hominem, & ut est ejus *finis ultimus, summumq; bonum*; ita & Theologia Naturalis pro hâc duplici Dei consideratione duplex est. Vel enim occupatur circa Deum *in se absolutè, ut est ens à materia re & ratione abstractum*; vel occupatur circa eundem, *ut hominis finis ultimus, bonumq; summum est*.

X. Modo priori occupata circa Deum accensetur ab *Aristotele VI. Met. c. I. & lib. XI. c. VII.* scientiis speculativis, & Metaphysicæ pars est. Eam verò ad consequendam salutem non sufficere, in confesso apud omnes esse opinamur. Sicut enim beatum sive in hâc vitâ, sive post eam, nemo dixerit eum, qui, quid Deus sit, quæq; ipsi convenient attributa, cognitum & perspectam habet vel habuit: hoc enim in pessimum & perditè viventem quemque cadere potest; ita nec habitus Theologiæ, qui in nudâ Dei ejusq; naturæ & attributorum contemplatione occupatur, ad salutem æternam perducere quenquam potest.

XI. Posteriori autem modo occupata circa Deum, nostræ Revelatæ sive Christianæ Theologiæ quodammodo respondet, & eodem, quo hæc, jure in classem habituum practicum transcribi potest. Utriusque enim opera in eo potissimum occupatur, ut hominem mediis convenientibus ad Deum, tanquam ad finem ultimum, dirigat: utraque constituit felicitatem sive beatitudinem hominis summam in Dei, tanquam boni infinitè perfecti & summi, fruitione: juxta utramq; etiam Deo fruitur, pro statu hujus vitæ quidem, qui eum ha-

bet

bet propitium. Huc enim collineant, quæ Scripturæ Sacrae de fide in Christum, deq; justificatione & reconciliatione hominis peccatoris cum Deo per fidem, & de sectanda vitæ sanctimonia, peccatisq; fugiendis, ne rursus Deus offendatur & ad iram provocetur, tam sollicitè inculcant. Eodem collineant, quæ Theologia Naturalis demerendi Numinis divini causâ de ejus cultu, dilectione, timore, deq; vitâ rectè degendâ & peccatis fugiendis ex naturæ & rationis principiis docet. Denique juxta utramque posita in fruitione Dei felicitas sive beatitudo hominis cum hac vitâ non expirat. Juxta Revelatam quidem sive Christianam Theologiam; quæ hominem post mortem non animâ tantum, sed resuscitato etiam & animæ redunito corpore beatum fore, manifestis Scripturarum testimoniis docet. Juxta Naturalem verò; quæ licet ad investigandam resurrectionem mortuorum ex suis principiis non penetret; hominis animam tamen immortalem esse, & prout hîc benè malève se gesserit, Deoque propitio aut irato à corpore discesserit, ita posthac benè malève habituram, & Deo fruituram aut non fruituram esse, docere argumentis haud obscuris potest.

XII. De Theologia Naturali igitur, quæ hominem ad Deum, tanquam ad finem ultimum, dirigit, instituitur jam consideratio, & vertitur summa & cardo rei in hoc: An homini, ut ad fruitionem Dei sive beatitudinem pertingere possit, sufficiant, quæ ex naturæ & rationis principiis ipsa eo fine præscribere potest, & præscribit?

XIII. Affirmativam partem inter alios amplectitur Auctor suprâ citatus, & prædictos quinque Articulos, I. *Esse Deum summum*, II. *Eum coli debere*, III. *Virtutem esse præcipuam cultus divini partem*, IV. *Respicendum esse à peccatis*, & V. *Dari premium & poenam tum in hac vita, tum post hanc vitam*; non posse solum luminis naturæ ductu ex communi Dei providentia evidenter demonstrari, sed sufficere etiam ad consequendam salutem æternam, persuasum habet. Unde cum in *Lib. de Relig. Gentil. c. XV. p. 217.* dixisset: *Quinq; hosce articulos bonos catholicosq; esse, unusquisq; procul dubio fatebitur: ad salutem tæ-*

men eternam comparandam non sufficere perhibebunt nonnulli; subjicit: Ceterum, qui ita locutus fuerit, na ille quidem audax; nedum sevum temerariumq, effatum (meâ sententiâ) protulerit.

XIV. Quod citra audaciæ & temeritatis notam sufficientia istorum quinque articulorum ad salutem negari non possit, tribus probat rationibus. Unâ, quod nulli satis explorata sint iudicia divina; quæ quia æquè affirmanti obest parti, subjungit: quam etiam ob causam neq, eas sufficere protinus dixerim. Alterâ, ex illo Scholasticorum effato: Homini facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, desumptâ. Attamen, inquit, magis probabilis mihi videtur eorum opinio, qui æquè piè ac leniter de Dei iudiciis statuant, dum homo, quod in se est, præstat: neq, enim in cuiusvis potestate est, ut fides sive traditiones, quantumvis laxæ, (præsertim ubi aliqua ex parte contravertuntur) ad se satis pertingant. Tertiâ, quod ex recta communiq, ratione quinque istis articulis non addi possit dogma, unde magis sinceri, piique evadant homines, aut pax concordiaq, publica magis promoveatur. Neque tandem, ait, ex recta communiq, ratione quinque Articulis nostris addi potest dogma, unde magis sinceri piique evadant homines; aut pax concordiaq, publica magis promoveatur. Sat equidem scio, plurimas ubiq, ferè gentium invulgari doctrinas, unde in spem venie citò adducantur peccatores; sed & doctrinas illas ingens solatium peccatoribus asserre: vereri tamen heic liceat, ne doctrina ille, (nisi ritè cautèq, explicentur) peccatoribus officiant, utpote qui ex facili delictorum suorum condonatione ad volutabrum citius revertantur, & in scœdiora subindè dilabantur crimina: dum enim ex subsidiariâ operâ salutem suam impetrari posse credunt, quæ ad suas spectant partes, destitunt ut plurimum, vel negligunt. Sed virtutem & pœnitentiam pariter suaderi vel etiam indici respondebunt Sacerdotes. Verum enim verò ut hoc etiam concedatur, communis tamen testatur experientia; ab externis auxiliis potius, quàm ex virtute & internâ pœnitentiâ salutem peti solere.

XV. Nos Auctoris secuturi vestigia primò omnium quinque ejus articulos expendemus, & num in recessu habeant, quod à fronte polliceri ipsi videntur, paulò penitiùs considerabimus.

XVI.

XVI. De duobus primis articulis, *Esse Deum summum, & Eum coli debere*, dubium nobis non est, quin ductu luminis naturæ ex communi Dei providentiâ, sive, quod eodem redit, ex natura hujus universi ejusq; gubernatione investigari & cognosci possint, idq; præter fundatas in naturâ rationes manifestas, disertè docet Gentium Apostolus, cum Rom. I. 19. 20. τὸ γνωστὸν, inquit, τῷ Θεῷ, i. e. quod cognosci de Deo potest, manifestum est in eis (Gentibus) *Ejus enim invisibilia jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta, pervidentur, æterna scilicet ejus cùm potentia tum divinitas.* Eorum enim, quæ τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ continet, primum omnium est, *esse Deum summum*; idque non minus, quàm cætera *invisibilia Dei, æterna scilicet ejus cùm potentia tum divinitas, ex rebus factis animadversum, pervidetur.* Cùm enim hoc universum, ordine & pulchritudine mirabili constructum, & in eo ingentem causarum & effectuum varietatem, motumque corporum cœlestium planè æquabilem intuemur, oppidò deducimur in notitiam alicujus primi & supremi entis, quòd à seipso & cæterorum omnium causa sit; quod nihil est aliud, quàm *esse Deum summum.* Ubi autem cognitum est, *esse Deum summum*, porrò pronâ & facili infertur consequentiâ, *Eum esse colendum, & quidem super omnia.* Cultus enim, cuique debitus, fundatur in perfectione ejus, cui debetur, & quo quis superior aliisque perfectior est, eò major ipsi cultus debetur. Et quia Deus est ens omnium supremum, & suâ perfectione infinitâ entia omnia, illarumq; perfectiones modis infinitis superat, vel ipsâ naturali ratione judice, super omnia colendus est. Quamobrem dicuntur etiam laudato Apostolo *Gentes ἀναπολόγητοι, inexcusabiles*, quòd cùm *Deum cognoverint, non tamen ut Deum glorificaverint*, sive cultu, ipsi ut Enti omnium supremo conveniente, profecti sint, Rom. I. 20. seq.

XVII. In quonam autem conveniens Deo cultus consistat, explicare majoris est operæ. Auctor in *Articulo tertio* constituit ejus partem præcipuam in *Virtute*, vel in *virtute cum pietate conjunctâ.* Et in Opusculo quidem de *de Veritate* conjungit *Virtutem cum Pietate*, & articulum tertium proponit hunc in modum: *Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam partem*

partem cultus divini habitam esse, & semper fuisse. In Tractatu autem de Relig. Gent. p. 217. folius Virtutis facit mentionem, verbis articuli sic conceptis: Virtutem esse precipuam cultus divini partem.

XIIX. Virtutem verò in Tr. de Relig. Gent. pag. 186. vocat perfectionem animæ, & pag. subseq. dicit ex Cicerone lib. II. de Officiis, Virtutem ferè omnem in tribus rebus verti: 1. in percipiendo, quid in unaquaque re verum sincerumq; sit, quid consentaneum cuiq;, & quæ rei cuiusq; sit causa; 2. in cohibendo motus animi turbatos; 3. in exercendo temperantiam & Fortitudinem; quantum æquitas humanitasq; patitur. Intelligit ergo Virtutis appellatione cum intellectuales, tum morales virtutes, quarum illæ in consideratione veri; hæ in cohibendis & moderandis animi affectibus, & ex parte etiam in exercendâ temperantiâ ac fortitudine occupantur. Porro Pietatem pag. 188. ex Veterum dividit sententia, eamque dicit esse in Deum præcipuè, deinde in Patriam & Parentes, ultimò in propinquos & benè meritos homines; & Pietas in Deum in quo consistat, declarat ibidem verbis Ciceronis ex ejus Oratione pro domo sua: Nec, inquit, est ulla erga Deos Pietas, nisi honesta de Numine eorum ac Mente opinio; quum expeti nihil ab iis, quod sit injustum, ac inhonestum, arbitrere.

XIX. Hæc Auctor circa Articulum tertium, qui est de divino cultu ejusque parte præcipuâ: quæ, majoris perspicuitatis causâ, paulò uberius considerabimus. Complectitur autem cultus, Deo debitus, plures actus, quorum quidam feruntur in Deum directè & immediatè; alii indirectè saltem & mediatè, in quantum ad ipsum ultimò, tanquam ad finem, referuntur.

XX. Prioris ordinis actus sunt dilectio Dei super omnia, timor Dei, fides in Deum, spes, humiliatio, invocatio, gratiarum actio & id genus alii: in quorum notitiam quomodo luminis naturæ ductu homo perveniat, ut intelligas, sciendum est, quòd τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ, quod Rom. I. 19. Deus Gentibus manifestum fecisse dicitur, complectatur τὰ ἀόρατα Θεῷ, invisibilia Dei, h. e. invisibilem ejus essentiam, & quæ realiter ab illa non differunt, attributa ipsius, cum positiva, tum negativa,

tiva, quorum unum, nempe *potentiam divinam*, Paulus ibidem nominatim exprimit, reliqua verò uno θεότης sive *divinitatis nomine* complectitur, quando ἐπινοίας causā addit: ἢ τε ἀΐσις αὐτῆς δυνάμεις καὶ θεότης, *æterna videlicet ejus potentia & divinitas*. Nam vox θεότης denotat hîc, *quicquid est excellens & divinum in Deo*, atque ad eò attributa ejus omnia. Nullum enim est, quod non aliquid excellentiæ & divinitatis in Deo importet. Ea verò dicuntur τοῖς ποιήμασι τοῦ θεοῦ καθ' ἑαυτὰς, *ex rebus factis per- videri*, quòd quædam illorum quasdam sui imagines expressas in illis habeant, & ex iis, velut è speculo, reluceant; alia verò in productione, conservatione & gubernatione rerum creaturarum se ita manifestè exerant, ut licet in se sint invisibilia, in effectibus sensibilibus tamen se conspicienda quasi obiciant; nonnulla denique appareant rerum factarum perfectiones longissimè excedere, & hoc ipso cum negatione imperfectionum, quæ in illis occurrunt, se conspicienda & cognoscenda exhibeant.

XXI. Hinc communiter *triplex* constituitur *via* sive ratio Deum & ejus attributa ex rebus factis cognoscendi. Una, quâ argumentis, *ab effectu ad causam* concludentibus, rerum creaturarum omnium causam primam, & quæ in illarum sive productione sive conservatione & gubernatione sese exerunt, attributa illius investigamus. Altera, quâ *creaturarum perfectiones primæ illarum causæ inesse cognoscimus*, vi principii naturæ notissimi: *Quicquid est in effectu, præexistit in causâ*. Tertia, quâ *creaturarum imperfectiones à prima illarum causâ* removemus, argumento à repugnantia, quæ inter illas & hujus perfectiones intercedit, deducto.

XXII. Illâ cognoscimus & quòd sit Deus: nam, ut superius dicebamus, dari aliquam primam causam, à qua res creatæ omnes dependent, quoad rem idem est, atque Deum esse; & quòd sit *agens liberum, intelligens, sapiens, bonum, sanctum, justum*, quòd polleat *vi efficiendi omnia, adsit rebus omnibus, provideat omnibus, moveat, regat, gubernet omnia*. Ut enim oculis obvia causarum & effectuum vicisitudo rectà in unius primæ causæ; ita earundem ordinatio ac dispositio pulcherrima, corporum

B

cæle-



cœlestium motus æquabilis, sibiq; per omnia constans, conservatio & gubernatio omnium prorsus admiranda, in cæterorum, quæ commemoravimus, attributorum & operationum notitiam nos deducunt.

XXIII. Istâ etiam hæc, quæ jam recensuimus, attributa bonam partem innotescunt, nempe ea omnia, quæ etiam in quibusdam creaturis, quamvis modo imperfectiori, inveniuntur, & in illis, velut in speculo, relucent: cujusmodi sunt *potentia intelligendi & volendi, sapientia, bonitas, justitia, & alia*, quæ perfectionem simpliciter, h.e. perfectionem, nullâ imperfectione mixtam, in suo conceptu formali important. Quas Deo inesse, præter hujus universi ordinationem pulcherrimam & gubernationem sapientissimam, id quoque liquidò evincit, quòd in quibusdam creaturis, hominibus scilicet, insunt. Non enim inesse illis possent, nisi etiam in Deo, tanquam in primâ illarum causa, quodammodo præexisterent. Et quia nullam in suo formali & proprio conceptu imperfectionem, per quam Deo formaliter inesse repugnarent, includunt, rectè colligitur, quòd Deo, tanquam causæ primæ, formaliter insint.

XXIV. Hæc denique *Attributa Negativa* innotescunt, cujusmodi sunt, esse *incorporeum, immortale, infinitum, immensum, independens*, & similia. Quæ, quia quoad rem nihil aliud sunt, quàm Dei perfectiones, cum negatione occurrentium in creaturis imperfectionum significatæ, tum demum plenè cognoscuntur, cum imperfectionibus istis repugnare cognoscuntur, & cum illarum negatione concipiuntur.

XXV. *Essentia & attributa divina*, ubi in rebus factis istâ viâ triplici animadversa & cognita sunt, deducunt intellectum porro per consequentias evidentes in notitiam istorum, quos diximus, actuum, *dilectionis* scilicet, *timoris, fiducia, invocationis* &c. quibus directè Deus colitur. Pleraque enim attributa divina suapte naturâ talia sunt, ut cum aliis principiis practicis, iisque naturâ notissimis, conjuncta inferant conclusiones practicas, quæ istas cultus divini partes præscribunt: v.g. ubi cognitum est, Deum esse summè bonum & boni omnis Auctorem & datorem, per bonam & evidentem inferitur consequen-

quentiam, eum esse super omnia diligendum, vi principii practici, naturam notissimi: Qui est summè bonus, & boni omnis auctor & dator, is summè & super omnia diligendus est. Ubi cognitum est, eum esse summè veracem, & in dicendo nec falli nec fallere posse, pronam & facili infertur consequentiam, ejus dictis & promissis sine dubitatione habendam esse fidem, vi principii naturam notissimi: Qui est summè verax, ut in dicendo nec falli nec fallere possit, ejus dictis & promissis sine dubitatione habenda est fides. Ubi cognitum est, eum esse summè bonum & potentem, & velle ac posse nos juvare, cognoscitur oppidò, in ipso esse confidendum, eum esse in necessitatibus invocandum, vi principii practici: Qui summè in hominem bonus & simul potens est, ut juvare eum & velit & possit, in eo ponenda est impetrandi auxilii fiducia omnis; is in necessitatibus etiam invocandus est. Ubi cognitum est, eum esse justum & scelerum vindicem severum, cognoscitur etiam, quòd timendus, & ne peccatis offendatur, cavendum sit, vi principii practici: Qui justus & scelerum vindex severus est, is timendus est, nec peccatis offendendus. Ubi cognitum est, ex Dei bonitate habere nos cum vitam, tum alia sive ad vitæ sustentationem, sive ad usus alios pertinentia bona, cognoscitur etiam, ei agendas esse gratias, vi principii practici: Pro beneficiis acceptis gratiam agenda sunt ei, à quo acceperis. Idem est iudicium de aliis partibus cultus, quibus directè & immediatè Deus colitur, quæ quidem ductu luminis naturæ investigari & cognosci possunt. Omnes enim deducuntur ex divinis attributis & aliis naturæ & rationis principiis practicis per consequentias necessarias & evidentes.

XXVI. Posterioris ordinis actus sunt actus virtutum cum intellectualium, quibus, ut Auctor loquitur, *quid in unaquaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, & quæ rei cuiusque sit causa*, intelligitur; tum moralium, quibus *refrenantur affectus*: quò & *temperantia ac fortitudinis* pertinet exercitium. Qui cultus divini rationem non habent, nisi in quantum ad Deum, tanquam ad finem, ultimò referuntur, & in ejus obsequium & gloriam fiunt.

XXVII. Unde mirari subit, cur in his potius, quam in illis, Auctor partem cultus divini præcipuam constituat: cum tamen in refrenandis affectibus occupatæ virtutes *Morales* per se & directè, uti dictum, non respiciant Deum, nec rationem cultus divini habeant, nisi in quantum ad Deum, tanquam ad finem referuntur; *Intellectuales* autem etiam in pessimum quemq; Numinis divini contemptorem cadere possint.

XXIIX. Sed quicquid tandem sit de parte cultus divini præcipuâ: cultus Deo debitus totus, in quantum quidem ductu luminis naturæ investigari potest, jam pro statu naturæ corruptæ ad consequendam salutem mortalium nemini sufficere potest, nedum pars illa, quæ sive in virtute solâ, sive in virtute & pietate constituitur, prout Auctor quidem ex *Cicerone* pietatem accipit pro honestâ opinione de Deo, quâ expeti nihil ab eo, quod sit injustum ac inhonestum, arbitreris.

XXIX. Notanter dico: *Pro statu naturæ corruptæ.* Si enim homo peccati expers, & viribus adhuc integris esset, lumen naturæ, & qui ejus ductu investigari potest, divinum cultum sufficere posse ad salutem, forsitan haud temerè quis asseruerit. Præterquam enim quod lumen intellectus tum multò perfectiùs, quam nunc est, futurum, & in cognitione Dei cultusq; divini multò longiùs, quam nunc progredi potest, progressurum esset; hominem etiam, à labe peccati purum, gratiâ divinâ excludere, Deo ve exosum reddere nihil posset; cui in gratuitum obedientiæ & constantiæ præmium tandem vitam æternam Deus, pro suâ immensâ bonitate, haud dubiè largiturus esset. Quamvis nec revelationes supernaturales ei omninò defuturæ essent: sicut nec Protoplastis illo exiguo temporis spatio, quo in primævo integritatis statu persistebant, planè defuerunt, ut ex historia Creationis *Gen. II, 17. 23.* patet.

XXX. Secus autem res habet cum cultu divino in *statu naturæ corruptæ.* Postquam enim prolapsio in peccatum primo parente, per unum hominem peccatum in mundum omnesq; homines introiit, *Rom. V. 12.* & eò res perducta est, ut non solum *naturâ simus filii iræ, Eph. II. 3.* sed omne etiam *signum cordis humani*

mani tantummodo malum sit omni tempore, Gen VI. 5. & IIX. 21. &
Deum proinde peccatis quotidie offendamus; cultus, Deo
jam ab hominibus peccatoribus debiti, pars prima ac potissi-
ma constituenda est *in satisfactione pro peccatu* validâ & suffici-
ente. Nisi enim per præstitam satisfactionem placata fuerit
ejus irâ, nosque ipsi simus reconciliati, reliquus cultus, ut ut
ex lumine naturæ cognitus præscriptusque, ei vel non deferri,
vel non absque hypocrisi deferri poterit. Non deferri ipsi
potest *cultus interior, in dilectionis, fiducia, spei*, aliisque id generis
actibus constitutus, quippe qui suapte naturâ respicit Deum, ut
homini propitium cognitum, nec cadere potest in peccatores,
nisi postquam Deo reconciliati sunt. Quomodo enim Deum
super omnia diligeret is qui ei se exosum & abominabilem esse,
ex peccatorum non expiatorum morfu sentit, & quem suâ se
accusante & damnante conscientia, velut judicem severum ser-
viliter timet & fugit? Quâ fiducia is in Deo se erigeret, quem
scelerum patrum suâ convincit conscientia, sensusque iræ
divinæ cruciat & angit? Non absque hypocrisi deferri DEO
potest cultus, in exterioribus sive *invocationis sive laudis & gra-
tiarum actionis*, aliisque in sensus incurrentibus actibus positus.
Animâ enim, Deo nondum reconciliatâ, nec fide & charitate
donatâ, hypocritica sunt exteriora solennia omnia, quæ cultus
divini causâ peraguntur.

XXXI. Quæ autem *satisfactio* offenso peccatis iratoque
Deo ad placandam ejus iram exhiberi possit aut debeat, huma-
na ratio nullis, neque ex communi Dei providentiâ, neque a-
liunde desumptis, argumentis docere potest, ut postea ex con-
sideratione articuli quarti patebit.

XXXII. Quod ergo ad *tertium* attinet *articulum*, in o-
stendenda & præscribenda cultus divini parte potissimâ omni-
umque primâ, quæ quidem Deo peccatis offenso iratoque ab
homine peccatore debetur, deficiunt lumen naturæ, & quæ ei
innititur, Theologia naturalis penitus, ut, si alia non esset cau-
sa, cur ad salutem nemini sufficere possint, hoc solum, quod
placandæ iræ divinæ, expiandorumque peccatorum medium
efficax, validum & sufficiens suggerere nullum possunt, causa sa-

tis esset. Peccatis enim non expiatis, & Deo in irā adversus peccata perseverante, homines manent æternæ damnationi obnoxii, nec quisquam est, qui eos inde eruere & liberare possit.

XXXIII. Sed præter hanc, alia, eaque haud infirmior, istius insufficientiæ suppetit causa. Nam ad consequendam salutem æternam, præter notitiam debiti Deo cultus, requiruntur etiam vires ad eundem, Deo reapse exhibendum. Nam nōsse rectum Dei cultum, nec tamen reapse eum Deo exhibere, est *justitiam in injustitia detinere*, docente Gentium Apostolo, *Rom. I. 18.* & *qui noverit rectè facere, & non facit, hic peccato tenetur*, *Jacob. IV. 17.* Vires autem, quibus cultus, etiam ductu luminis naturæ cognitus, Deo reapse præstetur, *pro statu natura corrupta* adeò defunt homini, ut ab Apostolo laudato cum mortuo comparetur, dicaturq; *mortuus per peccatum*, *Eph. II. 1. 5.* *Col. II. 13.* quòd instar mortui, nec velle nec perficere possit bonum, nisi Deo reconciliatus, utrumque ex ipsius gratiā accipiat, juxta illud ejusdem: *Deus is est, qui efficit in vobis & ut velit, & ut efficiatis, pro gratuita suā benevolentia*, *Phil. II. 13.* Unde siue cultum ex virtutibus, quæ in refrenandis affectibus occupantur, siue ex Dei dilectione, fide, spe, timore & similibus actibus æstimes, homo peccator tamen, Deo non reconciliatus, viribus ad eum reapse præstandum necessariis semper destituetur. Quamvis enim affectus, ne in actus externos erumpant, compescere, & actiones externas rectæ rationis præscripto conformare eoque possit, ut v. g. corpus ab adulterio, scortatione; manus à furto, homicidio patrandò contineat, tamen concupiscentiam pravam, & inde scaturientes malas cogitationes, motus inordinatos, propensionesq; in nulla non scelera, quibus animus totus polluitur, Deoque exosus redditur, tollere non potest, sed quantumcunque operæ impendat virtuti, in conspectu Dei tamen, ad animum respicientis, similis erit manebitque *arbori male*, quæ non nisi malos fructus proferre potest. Ex ejus corde enim semper procedunt *cogitationes male, adulteria, scortationes, cades, furta, augende rei artes, scelera, dolus, protervia, oculus malus, obrectatio, superbia,*

bia, amentia: omnia hæc scelera, si non ipsis externis patrentur a-
ctibus, intus tamen animo concupita, polluunt hominem, eumq;
Deo abominabilem reddunt, Marc. VII. 21. seqq. Neque plus
virium homo pro statu naturæ corruptæ habet ad Deum super
omnia diligendum, ad fiduciam in ipso omnem defigendam,
ad eum super omnia timendum &c. Præterquam enim, quod ad
hæc etiam emortuus est, per naturam corruptam etiam & con-
nata pravam concupiscentiam ita averfus est à Deo, ut licet,
prælucente lumine naturæ, eum cognoscat tanquam summè
bonum & super omnia diligendum, in sui tamen & eorum, quæ
carnis sunt, dilectionem totus feratur, faciatque, quæ displice-
re Deo non ignorat, & quæ cum ejus dilectione super omnia
stare nunquam possunt. Hinc tantum abest, ut in ipso confi-
dere possit super omnia, ut eum velut iratum judicem potius
fugiens, in hominibus, aut suis viribus, potentiâ, prudentiâ o-
mnem defigat fiduciam. Et dum quotidie peccat, Deumque
peccatis offendit, reapse ostendit, quod nec timeat ipsum, nec
timere possit super omnia. Et ut paucis, quod res est, comple-
ctar, homo jam in statu naturæ corruptæ, quantus quantus est,
totus carnalis est, nec nisi quæ carnis sunt, sapit, Rom. II. 5. Quod
autem caro sapit, mors est, v. 6. est inimicitia adversus Deum, legi e-
nim Dei non subjicitur, nam ne potest quidem, v. 7.

XXXIV. Atque hinc est, quod laudatus Apostolus urget
& sæpius inculcat, *per legem* (sive per ea, quæ implantata, men-
tibus hominum & à Deo repetita ac solenniter promulgata lex
de recto Dei cultu præcipit) neminem posse justificari. *Non*
justificabitur ex operibus legis ulla caro, inquit Gal. II. 16. Ex operi-
bus Legis nulla caro justificabitur in conspectu eius (Dei) ait Rom.
III. 20. Cujus suæ assertionis rationem reddit: quia *qui fecerit*
ea (quæ lex præcipit, & quidem perfectè ac sine defectu) *is de-*
num vivet in ipsis, Gal. III. 12. Quisquis enim totam legem serva-
verit, & offenderit in uno, omnibus tenetur. Nam qui dixit, Ne
mæcheris, dixit etiam, Ne occidas. Quod si non fueris mæchatus,
occideris autem, factus es transgressor Legis, Jac. II. 10. Qui autem
transgressor legis est, sub execratione legis est. Scriptum enim est,
Execrabilis est, quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt
in Libro

in Libro legis, ut faciat ea, Gal III. 10. Quia ergo, ut ostensum, cultum Deo debitum, etiam ductu luminis naturæ cognitum, mortalium nemo, pro eo ac oportet, præstare legemq; implere potest, nemo etiam per legem aut cultum, lege præceptum, justificari salutemque æternam consequi unquam poterit.

XXXV. Cæterum Auctor non diffitetur, neminem esse, qui non peccet, nec quenquam, nisi peccatis expiatis, salutem consequi posse. Unde in *lib. de Rel. Gentil. p. 195.* refert, Gentilibus etiam *suas* in usu fuisse *expiationes lustrationesq;* sine quibus neque crimine neque poenâ solutos semetipsos arbitrati sint. Sensum enim vitiorum, sive peccatorum suorum, habuisse Gentiles, haud aliter ac nostros, hodierno die nulli dubium esse. Persuasum autem sibi habet, rationem expiandi peccata non esse ita abstrusam, quin investigari & erui ex communi Dei providentiâ, etiam à Gentilibus potuerit, nec ita esse difficilem & arduam, quin obtineri viribus humanis possit: eam enim, rectæ rationis iudicio dictante, consistere in *pœnitentiâ*; pœnitentiam verò agere vel non agere, in cuiusque peccatoris arbitrio & potestate esse positum. Quò collineat ejus articulus quartus: *Horrorem scelerum hominum animis semper insedisse, adeoq; illos non latuisse, vitia & scelera quæcumque expiari debere ex pœnitentiâ*; vel ut alibi eum proponit: *Respiscendum esse à peccatis.*

XXXVI. Quanquam autem rituum quoque, quos cum pœnitentiâ Gentiles in suis expiationibus & lustrationibus conjunxerint, mentionem facit, eos tamen ineptos esse, & à se improbari, ibidem monet, quibus proinde nullam peccata expiandi vim adscribere potest. *Pœnitentiæ* a. nihil non tribuit, quod ad expiationem peccatorum quidem necessarium videri possit. Hanc dicit *REMEDIIUM MALORUM*, quæ quasi *TABULA POST NAUFRAGIUM* fuerit Gentilibus, & ad quam, etiam in delictis minimis, confugiendum esse crediderit Antiquitas, ut pag. 197. ejus verba habent: ubi etiam, post pauca interjecta, subjungit: *Solam morborum animi crisi salutarem esse pœnitentiam.* Et rursus: *pœnitentiam tanquam UNIVERSALE NATURÆ PIAMENTUM* vel sacramentum inter Gentiles esse habitam, Pag. 202. agnoscit rursus fateturq; ritus expiationum, à sacer-

à sacerdotibus olim excogitatos, fuisse ineptos; censet tamen, si sacerdotes illi (una cum ritibus, quanquam ineptis) penitentiam veram, horroremque scelerum in animos populi plenum induxissent, haud ita male cum humano genere actum fuisse.

XXXVII. Verum hanc in penitentia Gentilium constitutam rationem expiandi peccata, iramque Dei placandi esse planè insufficientem, facile ostendi potest. Primum enim ea non extendit se ad omne peccatum, quod Deo nos exosos, iraque divina reos facit. Gentiles enim nulla agnoscunt peccata, nisi quæ actu committuntur; originale autem peccatum prorsus ignorant, rati, hominem neque bonum, neque malum ex propria natura esse, sed utrumque fieri ex educatione, ut ipse Auctor in Lib. de Relig. Gent. p. 196. fatetur. Faciamus ergo, penitentiam esse Gentilibus medium expiandi peccata, non tamen medium sufficiens erit: cum expiando peccato originali, quo tamen natura sumus filii iræ, Eph. II. 3. medium esse non possit. Hujus enim, ut ignoti, Gentiles nullam ducuntur penitentiam. Deinde nec actualia Gentilium peccata solam penitentiam expiari possunt. Quod haud difficulter perspiciet, qui cum peccatorum actualium, tum penitentiae, qualis in Gentiles cadere potest, naturam penitentius consideraverit.

XXXIIX. Peccata actualia sunt ex genere actionum moralium, quæ, præter agentem, jus cuiusdam tertii concernunt. Sunt enim lege Superioris interdicta, & violant ejus legem. Et speciatim legem Dei aeternam & immutabilem violant quodammodo peccata omnia, quæ etiam contra leges humanas committuntur. Magistratus enim habet suam auctoritatem & legum ferendarum potestatem à Deo; & latæ ab ipso leges obligant vi legis divinæ, quæ parere Magistratui jubet, juxta illud Rom. XIII. v. 1. seq. Omnis anima Potestatibus supereminentibus subjecta esto. Non est potestas, nisi à Deo, & quæ sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. Et I. Pet. II. 13. seq. Subjecti estote cuivis humane ordinationi, propter Dominum, sive Regi, ut qui superemineat, sive Præsidibus, ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium. Quoniam ita est voluntas Dei.

XXXIX. Eo ipso autem, quod legem Dei aeternam & im-

C

muta-

mutabilem peccata sive mediata, sive immediata violant, inducunt ex parte peccantis *culpam* & *reatum* *pœnae* *divinae*; Deum verò *afficiunt injuriâ* *offendunt q̄*. *Culpam* quidem & *reatum* *pœnae* *divinae* inducunt: quia quisquis peccat, à regula rectitudinis exorbitat, & per hoc *culpam* sibi contrahit; natam verò ex exorbitantia à regula rectitudinis *culpam* comitatur *reatum* *pœnae* *divinae* per se & naturâ suâ. Deum autem *afficiunt injuriâ* *offendunt q̄*: quia legem ejus violant. Violatio enim legis *divinae* est quaedam juris *divini* violatio, atque adeò *injuria* in Deum redundans, quâ non potest non Deus gravissimè offendi.

XL. Quamvis verò, quod ad entitatem actuum attinet, peccata non sint aliquid permanens, *culpa* tamen & *reatus* *pœnae* ex parte peccantis; *injuria* item & *offensa* ex parte Dei manent moraliter, tenentque peccantem quasi constrictum, usque dum peccata expientur. *Culpa* enim est relatio quaedam, ex actu peccandi præterito, ob ejus à regula rectitudinis discrepantiam, resultans, quâ quî eum commisit, formaliter culpabilis constituitur. Constituitur autem per eam formaliter culpabilis non eo tantum tempore, quo actum peccandi committit, sed postea etiam, donec sequatur peccati expiatio. Sicut qui ante aliquot annos adulterium vel homicidium commisit, si nulla interverit expiatio, adhuc adulterii vel homicidii culpâ tenetur. *Reatus* autem est debitum quoddam & obligatio ad subeundam pœnam, ob *culpam*: quæ & ipsa, manente culpâ, manet. Non enim fieri potest, ut quis v. g. ex actu adulterandi aut occidendi præterito culpâ adulterii aut homicidii teneatur, nec tamen reus sive dignus sit pœnâ adulterii aut homicidii. Manentibus autem, ex parte peccantis, *culpâ* & *reatu* *pœnae*, manent ex parte Dei etiam *injuria*, per actum peccandi præteritum ei *imputata*, & *offensa*. Repugnat enim, aliquem esse, ob actum peccandi præteritum, culpabilem, pœnaq; dignum, nec tamen esse injustum in Deum, & ob violatum ejus jus, in *offensa* & odio apud eum constitutum.

XLI. Unde ad expianda peccata actualia requiritur necessariò, ut nata ex actibus peccandi præteritis cum *culpâ* & *dignitas*

gnitas sive reatus pœnæ ex parte peccatoris, tum injuria & offensa ex parte DEI tollatur, atque adeò ut nec culpabilis pœnaque dignus; neque in Deum injustus eiq; exorsus amplius sit peccator, efficiatur.

XLII. Videamus jam, in quo Gentilium pœnitentiam Auctor constituat, ut, possintne patrata hominum peccata & scelera per eam sic expiari? rectius intelligatur.

XLIII. Constituit verò illam in *Lib. de Rel. Gent. p. 198. in dolore ob peccatum*. Verba ejus sunt hæc: *Si cui novum insolensq; inter veteres pœnitentiæ vel pœnitudinis verbum videatur, non reluctor, modò sensum iræ divinæ & DOLOREM OB PECCATA SUA habuisse Gentiles, agnoscat: neq; enim de verbo laboro, ubi de re ipsa conventum est. Quod igitur nobis POENITENTIA sonat, id illis DOLOR PRO PECCATIS ILLIS, quæ iram divinam accerferent, procul dubio fuit: Quorsum enim, nisi interno dolore perciti, torrens sacraq; ad Deos placandos excogitassent? vel tot templa adissent, precès ve fudissent, aut vota nuncupassent?*

XLIV. Dolor autem ob peccatum nihil est aliud, quàm mœror, tristitia & anxietas animi, ex agnitione, displicentiâ & detestatione peccati oborta; & importat proinde ex parte peccatoris mutationem animi, quâ quæ contra legem DEI commiserat, displicere incipiunt, nec rata amplius habere vult, ut, si fieri posset, reddere vellet infecta. Quæ est moralis quædam peccatorum patratorum retractatio, quæ ad illorum expiationem quidem necessaria est, minimè autem sufficit.

XLV. Necessaria est: quia primum omnium, quod ad peccata expianda requiritur, est, ut qui peccaverat, ea non amplius habeat rata, sed apud animum suum retractet, improbet, detestetur, & si fieri posset, vellet reddere infecta. Secus si fiat, & peccata animo rata habere peccator pergat, efficiet, ut peccata moraliter maneat, & quò minus expiari ac aboleri possint, impedit

XLVI. Non autem sufficit: quia solum concernit peccantem, & ne peccata admissa ex parte sui habeat rata, efficit, uti dictum. Peccata verò, præter peccantem, concernunt etiam Deum, & ob violatum ejus jus cum *injuria & offensa*

ipſius conjuncta ſunt. Commune autem inter ſe habent omnes in univerſum actiones morales, quæ alterius tertii juſ quodam concernunt, ut ab agente, licet ſeriò pœnitente, reſcindi & aboleri non poſſint, ſed tantisper eum ſtringant, dum juri tertii fiat ſatis: v.g. in contractu emtionis, qui emit agrum, licet poſtea emtionis eum pœniteat, & initum ſemel contractum animo & verbis dolens retractet, tamen quia contractus etiam venditoris juſ concernit, non poteſt ſolâ emtoris retractione iſ aboleri, ſed emtor tenetur illo conſtrictus quaſi & obligatus, uſque dum juri venditoris fiat ſatis, ut ejus pace & conſenſu reſcindatur, & retractione utriuſque reddatur irritus. Quemadmodum ergo v. g. in contractu emtionis juſ tertii, venditoris ſcilicet, obſtat, quò minùs ſolâ emtoris pœnitentiâ & retractione reſcindi & aboleri poſſit: ita in peccatis juſ Dei violatum æquè obſtat, quò minùs ſolâ peccatoris pœnitentiâ & retractione expiari & aboleri poſſint, ſed ut illic ad abolendum emtionis contractum, præter emtoris pœnitentiam, etiam juri venditoris ſatisfieri oportet; ita hîc ad expianda peccata, præter peccatoris pœnitentiam, violato peccatis juri divino ut fiat ſatis, neceſſe eſt. Ei verò aliter ſatisfieri non poteſt, quàm *lutione*, ut ita loquar, *pœnæ*, ad quam ſuâpte naturâ peccatum obligat, vel perſolutione lytri cujuſdam, quod pœnæ æquivalet.

XLVII. Hoc patet etiam per experientiam. Qui enim contra leges publicas peccavit, & commiſſo v. g. adulterio vel homicidio in Magiſtratus incidit offenſam, iſ quantocunque corripatur dolore, tenetur tamen culpâ peccati reatuq; pœnæ conſtrictus, & manet ſimul in offenſa Magiſtratus, donec vel luendo debitam peccato pœnam, vel exhibito pœnæ promeritæ æquivalente lytro Magiſtratui faciat ſatis. Et qui in proximum aliquid commiſit, eumq; injuriâ affecit, licet poſteâ pœnitentiâ ductus, factum habere ratum nolit, idque non absque gravi animi dolore deteſtetur, tamen niſi etiam offenſo proximo fecerit ſatis, aut ſaltem eum induxerit, ut jure ſuo cedat, & illatam ſibi injuriam condonet, ſub culpâ & reatu pœnæ tenebitur conſtrictus, non obſtante ſuâ pœnitentiâ. Quò vide.

videtur respexisse Christus, quando *Matth. V. 23. seq.* peccatorem, qui jam munus suum ad altare attulerit, & impetrandæ peccatorum veniæ causâ, ad Deum precaturus, fratrem suum aliquid contra se habere meminerit, hortatur, ut, relicto ad altare munere, ad fratrem offensum abeat, & cum ipso prius reconciliationem ineat, quàm suorum peccatorum remissionem apud Deum quærat.

XLIX. Auctor diffiteri hæc non potest. Opinatur autem, quod tùm saltem habeant locum, cùm *homines injuriâ vel contumeliâ afficiuntur*, non autem cùm *Dei summi Majestas leditur*. Ceterum, inquit in *lib. Rel. Gent. pag. 198.* licet in remedium peccati, ubi *Dei summi Majestas laderetur*, pœnitentiam sive dolorem efficacem esse crederent: non ita tamen, ubi *homines injuriâ vel contumeliâ afficerentur*, de pœnitentia illa statuebant Gentiles. Illatum quippe damnum heic compensari & dissolvi postulabant. Quæ licet ex mente Gentilium hîc loquatur, alibi tamen, ubi de Veritate agit, non obscure suo comprobat calculo, quando *pag. 279.* In analogiâ illâ, inquit, *mutuâ, quam ab invicem obtinemus, quando expilatione, peculatu &c. bona diripiuntur, ultra respiciendam, restitutionem jubet gentium lex illa communis & consensus Universalis.* Si quipiam interea prurienti ingenio præditus, à nobis postulaverit, cur intra nostram stet libertatem, peccata & scelera ista perpetrare posse (ut ad satisfactionem non teneamur) optimè quidem respondebimus, ista ab occultis Dei judiciis pendere.

XLIX. Verum enim verò quòd in delictis, quibus homines afficiuntur injuriâ vel contumeliâ, satisfactio & damni illati compensatio exigitur, non humanum est inventum, sed ipsâ cordibus hominum inscriptâ lege naturæ sic determinatum, & propterea, fatente Auctore, *Gentium lege communis, & consensu universalis* ubique receptum est. Quemadmodum autem lex naturæ est legis divinæ, æternæ, & immutabilis quædam imago expressa, ita quicquid illi consentaneum est, huic etiam consentaneum sit oportet. Si ergò, vi legis naturæ, peccata, quibus homines afficiuntur injuriâ, solâ pœnitentiâ expiari non possunt; sequitur, quod etiam vi legis divinæ eâ solâ expiari non possint: cùm illa, ut dictum, in hæc fundetur. Quò

accedit, quod populo Israëlitico Deus ipse olim leges præscripsit, ad quarum ductum damnum illatum compensandum, & pœnæ exigendæ essent, quæ ab ejus lege æterna & immutabili proinde alienæ esse non poterant, sed in illa fundari oportebat. Quid? quod Magistratus tum etiam, cum nihil quicquam obstante delinquentium pœnitentiâ delictorum pœnas ad normam præscriptarum legum exigit, Dei vicem gerit, ejusque loco & nomine judicium exercet, juxta illud *II. Paral. XIX. 6. 7.* *Non homini judicaturi estis, sed Jehovæ, qui vobiscum (futurus est) in rebus judiciariis. Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate & facite, non enim est apud Jehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumtio muneris: cui etiam Deus severè injungit, ut pro ratione delictorum pœnas sine ἀποστολῆς exigat, ne cuiquam parcat: Ne, inquit, parcito oculus tuus ei (homicidæ): sed tolles sanguinem innoxium ex Israële, Deut. XIX. 13.* Evidens ergo est, quod lex Dei æterna & immutabilis æquè ac illa communis Gentium lex consensusq; universalis, *ultra resipiscentiam, etiam satisfactionem pro peccatu, & pro re nata restitutionem, damniq; illati compensationem* exigere jubeat.

L. Dicet forsan Auctor, Legem Dei æternam & immutabilem jubere sive exigere quidem restitutionem & damni illati compensationem, sed in delictis saltem, quibus homines afficiuntur injuriâ & contumeliâ, non autem in delictis, quibus Dei summi Majestas leditur.

LI. At verò illa ipsa delicta, quibus homines injuriâ aut contumeliâ afficiuntur, violant etiam Dei æternam & immutabilem legem, & ejus violatione lædunt quoque majestatem Dei summi, ut superius ostensum. Si ergò, vi Divinæ & Naturalis legis, illata hominibus injuria aut contumelia solâ delinquentis pœnitentiâ sive retractatione morali expiari non potest, num illata Majestati Dei summi injuria, vi ejusdem legis, sola peccantis pœnitentiâ sive retractatione expiari possit? Quid enim? An Deus gloriæ & Majestatis suæ magis prodigus est, quàm homo, ut injuria huic illata, absque satisfactione, expiari à pœnitente non possit; possit tamen absque satisfactione, solâ peccantis pœnitentiâ, expiari injuria, Majestati Dei summi illata?

LII.



LII. Sed prescius Auctorem urgebimus. Lædentiã Majestatem Dei summi peccata vel suapte naturã in peccante æq; inducunt obligationem ad satisfaciendum pro injuriã, DEO summo per violatam ejus legem illatã, ac peccata, quibus homines afficiuntur injuriã contumeliãve, aut non æquẽ eam inducunt. Posterius citra manifestam falsitatem dici non potest: Nam peccata, Majestatem Dei summi lædentiã, ut æquẽ ac alia peccata, culpam; ita & reatum pœnæ æquẽ in peccante suapte naturã inducunt: cum reatus pœnæ fit consequens culpæ inseparabile. Et quia reatum pœnæ inducunt, hoc ipso inducunt obligationem ad luendam pœnam, vel ad aliam, pœnæ loco, præstandam satisfactionem: cum reatus pœnæ nihil aliud sit, quàm debitum subeundi pœnam, vel aliam, loco pœnæ, satisfactionem præstandi. Hinc Gentilium etiam consensu communi receptum est, quòd peccando homines iram Dei & reatum pœnæ divinæ incurrant, atque ad eò ad luendas pœnas, quibus Deo pro illata injuria & majestate læsa fiat satis, ex peccatis patris obligentur. Sin prius Auctor dixerit, reddenda jam ipsi ratio est, cur poenitentia sola, absque satisfactione, *efficax sit in remedium peccatorum*, quibus *Dei summi læditur Majestas*, non obstante, quòd hæc, æquẽ ac alia peccata, suapte naturã peccantem ad satisfactionem, pro illatã DEO injuriã præstandam, obligent.

LIII. Hic aqua hæret Auctori, nec quicquam habet solidi, quod afferat. In loco, paulò antè ex *Tract. de Verit. p. 279.* citato, dicit, *hoc pendere à judiciis Dei occultis.*

LIV. Verùm hoc frivolum commentum est. Primùm enim solam poenitentiam esse efficacem in remedium peccatorum, quibus Majestas Dei summi læditur, nondum ab ipso probatum est, quod tamen primò omnium probandum erat. Deinde si occulta sunt judicia Dei, à quibus hæc res pendet, unde Auctori innotuerunt? & unde nobis faciet manifestum, hæc, quæ Dei occulta judicia dicit, non esse sua figmenta?

LV. In præcedente autem pag. 277. *Scelera nostra ex verã poenentiã elui, & novum iniri posse cum Deo fœdus*, triplici probatum it fundamento: *Religionum scilicet consensu, Bonitate Dei,*
& in-

& interno conscientia testimonio. Quibus duo subjungit absurda, quæ, nisi poenitentiam eluendis hominum sceleribus sufficere concedatur, necessariò secutura existimat. Unum, *Nul- lum universale ita patere vel olim patuisse Remedium, ut fuerit, quò fugeret misera ex peccati sensu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret.* Alterum, *Quosdam (imò longè majorem hominum partem) inscios, nedum inuitos & creasse, & damnavisse Deum Opt. Maximum.* Verba ejus hæc sunt: *Scelera nostra vera ex poenitentia elui, & novum cum Deo iniri posse fœdus, Religionum consensus universali, Bonitatis divine conditio, & ipsa Conscientia imprimis docent.* Quo enim interno foro maximè interduntur scelera, eo ipso verà ex poenitentia emaculari posse, *Sensus internus (sub conditionibus suis) docet.* An verò aliud, & quidem convenientius detur medium, unde justitiae divine sit factum satis, non est heic in animo exponere, cum nihil in hoc opere, præter veritates incontrovertas, ex sensu & consensu universali petitas, propositum habeamus. Hoc solummodò dicimus, (quicquid in adversam partem à quibusdam suggeratur) quod nisi solà ex poenitentia & fide in Deum vitia & scelera quacunque eliminari possint, & justitiae divine bonitas divina adeò sit *λύτρωσις*, ut non sit ulterius, quò provocetur, nullum universale ita patere, vel olim patuisse Remedium, ut fuerit, quò confugeret misera ex peccati sensu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret: Et tandem in id deveniendum sit, ut quosdam (imò longè majorem hominum partem) inscios, nedum inuitos & creaverit & damnaverit Deum Opt. Max. quod adeò horrendum, & providentiæ, bonitati, imò & justitiae divine incongruum sonat, ut mitiori & equiori sententiâ dicendum sit, totum humanum genus ex poenitentia semper habuisse media, unde Deo acceptum esse potuit; quibus si exciderit, non jam ex Dei beneplacito, sed ex proprio hominum peccato perditionem uniuscujusq; extitisse, nec per Deum stetit, quò minùs salvi fierent.

LVI. Sed his etiam nihil inest roboris. Ad quod perspicuè ostendendum, ante omnia monendum ducimus, quod dicit Auctor, *scelera nostra ex verà poenitentia elui posse, duplicem ad-*

admittere sensum : Unum, quod ex parte hominis peccatoris ad eluenda eius scelera de jure nihil exigi possit, præter poenitentiam, ut si poenitentiam agat, ad nullam Deo pro sceleribus patris præstandam satisfactionem obligatus sit, aut maneat : Alterum, quod poenitentia, licet debito satisfaciendi pro peccatis peccatorem per se non solvat, sufficiat tamen ad hoc, ut Deus satisfactionem debitam pro sua bonitate & misericordiâ non exigere, atque adeò peccata cum debito satisfaciendi, sine satisfactione interveniente, condonare possit.

LVII. Priori sensu assertionem falsam esse, constat ex hætenus dictis liquidò. Ostendimus enim, quod peccatum omne, ut suapte naturâ cum injuria & offensa Dei conjunctum est, ita ex parte peccatoris per se & suâ naturâ debitum subeundi poenam, vel poenæ loco aliam Deo satisfactionem præstandi inducat, quæ per poenitentiam, præcisè pro dolore ob peccatum sumtam, tolli non possit.

LIX. Posteriori autem sensu accepta assertio redit ad istam inter veteres agitatam quæstionem, an Deus alio modo, quàm per Christi satisfactionem; vel an, sine interveniente satisfactione, per solam condonationem peccatorum homines peccatores liberare potuerit? Cujus negativam olim amplexus est *Anselmus lib. I. Cur Deus homo*, docuitque, *sine satisfactione, id est, sine debiti (peccatis contracti) solutione spontaneâ nec Deum posse peccatum impunitum dimittere, nec peccatorem ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat, antequam peccaret, pervenire, ut c. XIX.* ejus verba habent. Ratio ejus potissima est: quia si sine satisfactione Deus peccata remitteret, inordinatè aut injustè ageret: cum peccata impunita aut satisfactione non expiata dimittere, omninò sit inordinatè & injustè agere. Sed inordinatè aut injustè agere non decet Deum. Ergò nec peccata sine interveniente satisfactione remittere, Deum decet. *Quapropter, inquit sub finem c. XII. si non decet Deum aliquid injustè aut inordinatè facere, non pertinet ad ejus libertatem ac benignitatem ac voluntatem, peccantem, qui non solvit Deo, quod abstulit, impunitum dimittere. Et c. XIII. Nihil minus tolerandum est in rerum ordine, quàm ut creatura Creatori debitum honorem aufe-*

D

rat,

rat, & non solvat, quod aufert. Nihil autem injustius toleratur, quam quo nihil minus est tolerandum. Quia autem dici non potest, Deum debere tolerare, quo nihil injustius toleratur, nempe ut creatura non reddat Deo, quod aufert; concludit tandem: Necessesse esse, ut aut ablati honor solvatur, (hoc est, præstitâ satisfactione restituatur,) aut pœna sequatur: alioquin aut sibi ipsi Deum justum non fore, aut ad utrumq; impotentem futurum. Quæ Anselmi argumentatio si rectè habet, in præsentia controversia etiam contra Auctoris assertionem, in qua exentienda occupamur, militabit, evincetque, Deum ne poenitenti quidem peccata, sine satisfactione præstitâ, remittere posse. Cùm enim poenitentia, ut supra ostensum, peccatorem debito satisfaciendi pro peccatis per se non solvat, adhuc Deus inordinatè & injustè ageret, si peccata, absq; præstitâ satisfactione, poenitenti remitteret. Peccatorem enim, debito subeundi poenam constrictum, impunitum dimitteret.

LIX. Diversum tamen, ante Anselmum, senserunt plerique Patres, quos inter est Athanasius, qui lib. III. contra Arianos inter alia: Poterat, inquit, etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, & maledictionem solvere; & Augustinus, qui lib. XIII. de Trin. c. X. quærentes: itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatu hujus? sic censet refellendos, ut istum modum, quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, & divine congruum dignitati; ut tamen etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati equaliter cuncta subjacent. Gemina tradiderunt Gregorius Nazianzenus Orat. IX. Cyrillus Alexandrinus in lib. de Incarn. Theod. in Sermon. VI. contra Græcos, Damasc. lib. III. de Orthod. Fide c. XIX. & alii, quos, adscriptis illorum verbis, longâ serie citat Dionysius Petavius Tom. IV. Theol. Dogm. lib. II. c. XIII. ubi, qui vult, videat. In eandem sententiam postea descendit Thomas part. III. q. 1. a. II. quem ejus interpretes communiter sequuntur.

LX. Sed hæc ad præsens nostrum institutum parum faciunt. Nobis enim hîc non tam de POSSE, quam de VELLE DEI, h. e. non, AN POSSIT; sed AN VELIT Deus poenitentibus

bus peccata, sine præstitâ satisfactione, remittere? quæstio est. Ut enim benignus & misericors, ita & justus ac scelerum vindex est Deus, & quemadmodum pro suâ liberrimâ voluntate, ex Veterum Patrum sententiâ, peccatoribus peccata ex merâ gratiâ, nullâ interveniente satisfactione, pœnitentibus condonare potest; ita pari libertate potest pro suâ justitiâ debitam ab ipsis exigere satisfactionem, atque adeò potest peccata non condonare, nisi pro illatâ sibi injuriâ plenè factum sit satis.

LXI. Suppositâ igitur possibilitate modi prioris, in eo nunc omnis vertitur controversia, priori illo? an posteriori modo Deus cum prolapsio in peccatum genere humano agere velit & reapse agat? sive an poenitentibus, etsi ad satisfactionem pro peccatis præstandam adhuc obligatis, debitum satisfaciendi, & simul peccata, sine præstitâ satisfactione, remittere velit, & remittat? an verò eosdem debito satisfaciendi peccatisq; nec solvere velit, nec solvat, nisi interveniente satisfactione?

LXII. Prius ut Auctor defendendum in se recipit, ita si tribus adductis fundamentis, *Religionum* scilicet *consensu universali*, *Bonitatis divine conditione*, & interno *Conscientie* testimonio solidè probari posse opinatur, à vero longè aberrat.

LXIII. Et *Religionum* quidem *Consensus Universalis* licet doceat, ad eluenda peccata poenitentiam esse necessariam: peccata enim, nisi per poenitentiam retractata, in nulla religione elui posse putantur; minimè tamen docet, poenitentiam solam, (accipio poenitentiam cum Auctore pro dolore ob peccatum) ad ea eluenda sufficere. Contrarium enim docet diffusa per orbem terrarum Religio Christiana, quæ unica & sola vera ac salutaris religio est. Docet enim consensu unanimi, quòd peccata Deus mortalium nemini condonare velit, nisi per *satisfactionem Christi*, fide apprehensam, quem propter eà proposuisse dicitur *ἱλασθῆναι placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrandam justitiam suam, per remissionem peccatorum, que preceserunt, Deo illa tolerante, Rom. III. 25.* ut esset *ἱλασμός propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi peccatis, II. Job. II. 2.* ut esset *ἀντιλύτρον*,
D 2 *preiuro*

pretium redemptionis pro omnibus, 1. Tim. II. 6. & ut per ejus mortem reconciliaremur ipsi, cum inimici essemus, & sanguine illius iustificati servaremur ab ira, Rom. V. 9. 10. Sed nec diffusæ longè latèq; Religiones Gentilium, quamvis falsæ omnes sint, id quod Auctori probandum incumbit, docent. Cui bono enim cruenta illa, unde Numen placaretur, sacrificia instituta & à Gentilibus recepta essent, si solâ poenitentia scelera sua expiari posse, religionum inter Gentes saltem receptarum, consensus universalis doceret? Quin potius κακοζήλια quâdam ad imitationem sacrificiorum, in Ecclesia Israëlita ad adumbrandam Christi satisfactionem pro peccatis institutorum, sacrificia illa cruenta ad placandum Numen divinum recepisse videntur, quòd per suam poenitentiam id placari non posse animadverterent, nec tamen aliàs, unde pro peccatis satisfacerent, ejusque iram placarent, invenire quicquam possent.

LXIV. Deinde etiam BONITATIS DIVINÆ CONDITIO docere non potest, quòd *scelera hominum poenitentia solâ* citra satisfactionis interventum eluantur. Deus enim, ut paulò ante dicebamus, non solùm BONUS, sed & JUSTUS est: & quemadmodum ejus *bonitas*, nostrâ miseriâ provocata, ipsi est ratio impulsiva ad miserendum nostri, & peccata nobis gratis sine satisfactione condonanda, ita ejus *justitia*, peccatis nostris læsa, eidem est ratio impulsiva ad exigendam à nobis satisfactionem, quâ illata ipsi injuria compensetur. Ultra verò in Deo præponderet, & an actu ipso Deus *pro sua bonitate*, sine satisfactione peccata poenitentibus condonet, aut condonare velit? an verò *pro justitiâ suâ* cum peccatoribus agat, & satisfactionem pro peccatis ab ipsis exigat aut exigere velit? id, uti patet, *ex conditione divinae bonitatis* constare non potest, sed pendet totum à Dei voluntate liberâ. Stante enim Patrum veterum & Scholasticorum communiori sententiâ, quòd peccata sine interveniente satisfactione à Deo remitti non repugnet, potest Deus pro sua libertate se determinare ad utrumlibet, nempe & ad peccata poenitentibus *pro bonitate suâ* gratis ac sine satisfactione condonanda; & ad eadem *pro justitiâ suâ* non condonanda, nisi prius plena præstita fuerit satisfactio.

LXV

LXV. Hæc igitur, an illa cum peccatoribus poenitentibus procedendi ratio Deo pro suâ libertate placuerit, placeatque mortalibus aliunde innotescere non potest, quam ex *divinâ revelatione*. Quæ, quia alibi non datur, in Scripturis Θεοπνεύστis inquirenda est. Hæ autem passim inculcant, Deum irasci peccatoribus: *palam esse ejus iram è cælo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum*, Rom. I. 18. ejusque *judicium esse secundum veritatem adversus eos, qui talia agunt*, c. II. 2. Quamvis verò *Dei bonitatem* quoque & *misericordiam* erga homines peccatores insigniter commendent, eumque *divitem* dicant *miserordiâ*, quòd *multâ charitate suâ dilexerit nos, cum adhuc per peccata mortui essemus*, Eph. I. 5. quòd *postquam apparuit ejus bonitas & erga homines amor, secundum suam misericordiam nos servaverit*, Tit. III. 4. quòd *pro suâ bonitate velit omnes homines fieri salvos, & ad agnitionem veritatis pervenire*, I. Tim. II. 4. quòd *patiens sit erga nos, & nolit ullos perire*, II. Petr. III. 4. Nusquam tamen Deo tribuunt, quòd pro solâ suâ bonitate & misericordiâ, nullâ habitâ ratione justitiæ suæ, cum peccatoribus in expiandis illorum peccatis agat aut agere velit, sed potius quòd pro bonitate quidem & misericordiâ suâ cum illis agere velit agatque, sed in quantum justitiâ suâ salvâ fieri potest, & ita ut *justitiæ æquè ac bonitati* ejus suus sit locus. *Justitiæ* quidem: quia peccata nolit remittere absque satisfactione, pro illis præstitâ. *Bonitati* verò: quia *ex merâ bonitate, gratiâ & misericordiâ suâ* Filium suum unigenitum miserit, ut, quam ejus justitiæ satisfactionem pro peccatis nostris præstare nos non poteramus, ipse in carne assumptâ pro nobis præstaret. Atque hoc est, quòd dicunt, Deum *non pepercisse suo proprio Filio, sed dedisse eum pro omnibus*, ut scilicet loco omnium suæ læsæ satisfaceret justitiæ, Rom. VIII. 32 *subjectisse eum legi, ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret*, Gal. IV. 4. 5. *Fecisse eum execrationem pro nobis, ut ab execratione legis nos redimeret*, c. III. 13. *Commendâsse in hoc charitatem suam erga nos, quòd Christus pro nobis mortuus est*, Rom. V. 6. eum *sic dilexisse mundam, ut Filium suum unigenitum daret, (in mortem pro peccatis nostris) ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, Joh. III. 16.

LXVI. Miramur autem, cur Auctor dicat, *an aliud & quidem convenientius detur medium (quàm pœnitentia) unde justitiæ divinæ factum sit satis, exponere, sibi heic in animo non esse*: cum tamen (1.) pœnitentia, ut supra ostensum, non sit medium, quo justitiæ divinæ fiat satis, sed saltem conditio, ex parte peccatoris requisita, quæ ipso debito satisfaciendi pro peccatis eum non solvit. (2.) quæstioni, an & quodnam detur medium, unde justitiæ divinæ factum sit satis? hîc maximè, ubi de ratione expiandi peccata ex instituto agitur, locus conveniens sit: de quâ, nisi constiterit, ratio eluendi peccata plenè tradi & explicari non potest. Quod verò Auctor præterdit, *se nihil in hoc opere, præter veritates incontrovertas, ex Sensu & Consensu universali petitas, propositum habere*; calva excusatio est. Cum enim ex Sensu & Consensu universali de medio conveniente, unde divinæ justitiæ factum sit satis, nihil constare possit, ut modò ostensum; in hoc opere vel tacendum de illo erat, vel Sensum & Consensum universalem populorum & Gentium hîc deficere ostendendum, & mentes ad Ecclesiam, & quibus ea nititur, Scripturas divinitus patefactas, ut defectum Sensus & Consensus universalis inde supplerent, remittendæ erant. In Ecclesiâ autem Scripturisque sacris medium, unde justitiæ divinæ factum sit satis, controversum non est, nisi quòd à quibusdam, qui quòd non essent ex nobis, ex nobis exierunt, ut Johannis Apostoli verba I. Epist. c. II. 19. nostra faciamus, contra Scripturas manifestissimas & indubitatum totius Ecclesiæ consensum in controversiam vocatur. Scripturæ enim cum Veteris tum Novi Fœderis & cum illis Ecclesia Christi universa summo semper consensu docuit, docetque, *medium, unde justitiæ divinæ sit factum satis, esse unum & solum Jesum Christum, qui sese ipse dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, I. Tim. II. 6.* Auctor verò, nisi nos fallit suspicio, Socinianorum, Christi satisfactionem pro peccatis nostris obstinatè negantium, premit vestigia; & ut videtur, de medio conveniente, unde justitiæ divinæ factum sit satis, eâ de causâ mentem suam exponere noluit, ne Socinianum se esse proderet.

LXVII. Sed, his misis, illud insuper absurdè ab Auctore
in ver-

in verbis citatis dicitur, *justitia divina bonitatem divinam esse*
λίτεν, adeò ut non sit ulterius, quò provocetur. Nam *λίτεν,*
quo læsæ justitiæ divinæ fiat satis, à peccatore, qui peccando
Deum ejusque justitiam læsit, vel ab aliquo tertio, ejus loco
interveniente, persolvendum est. Lædentis enim est, persoluto
λίτεν satisfacere læso, non læsi satisfacere sibi, aut sibi persol-
vere *λίτεν*; idque ubi persolvitur, habet se ad peccata expian-
da ut causa *ἡγετική* sive *impulsiva externa.* *Bonitas di-*
vena autem non est tale quid, quod homo peccator Deo *λίτεν*
loco, ut læsæ ejus justitiæ satisfiat, exhibere possit, sed est ali-
quid Dei, imò quoad rem ipse Deus, qui peccatis læsus est, &
nostro modo concipiendi, à Deo distincta habet se ex parte i-
psius in ordine ad peccata nobis condonanda, ut causa *ἡγε-*
τική, sive ut *causa vel ratio impulsiva interna,* ut loqui Au-
ctores amant.

LXIX. Ita ergo patet, alteri etiam Auctoris fundamen-
to, quod in *conditione Bonitatis divinæ* constituebat, nihil ines-
se solidi. Expendendum superest tertium, quod in interno
Conscientiæ testimonio positum, & uti videtur, palmarium esse
vult. Dicit enim, *Scelera nostra verà ex pœnitentiâ elui, ipsam*
Conscientiam INPRIMIS docere. Quomodo autem id IN-
PRIMIS doceat, expositurus, obscure admodum loquitur.
Verba ejus sunt: *Quo enim interno foro maximè interdiciuntur*
scelera, eo ipso vera ex pœnitentiâ emaculari posse, Sensus internus
(sub conditionibus suis) docet. Si rectè ejus mentem assequor,
per *Sensum internum* intelligit internum & naturalem instin-
ctum, quo mens, objectis apprehensis, in veritatem fertur,
vel quod eodem redire videtur, internum & naturale ratio-
nis judicium de veritate rerum apprehensarum, & hoc signifi-
care vult. (quo foro peccata interdiciuntur, eo posse etiam pec-
cata emaculari, docere sensum internum sive ipsum naturale
rationis judicium: cùm, penes quem est peccata lege interdi-
cere, penes eum, ratione naturali sic in omnibus docente, sit
etiam legum transgressoribus pœnas constituere, easque vel
ad legum præscriptum exigere, vel remittere, vel etiam alias,
pœnis constitutis æquivalentes, satisfactiones pro peccatis præ-
scri-

scribere, ut ita in eodem foro, quo interdicuntur peccata, etiam dari oporteat rationem vel medium emaculandi ea, sive per lutionem poenae, sive per solutionem lytri, sive per aliud quid in foro eodem praescriptum. Ex quo universali & apud omnes populos recepto principio equi, & sensum internum sive rationis dictamē naturale porrò illud etiam, quod probandum in se receperat, docere existimat, *peccata nostra vera ex poenitentia elui posse.* Quae enim peccata maximè interno conscientiae foro interdicuntur, ea possunt etiam, sensu interno vi istius universalis principii docente, illo ipso foro interno emaculari: alias enim si eo emaculari non possent, daretur aliquod forum, quo scelera interdici, nec tamen emaculari possint, quod absurdum. Sed in interno conscientiae foro nulla praescribitur ratio eluendi sive emaculandi peccata, praeter poenitentiam. Ergò ex poenitentia possunt peccata in interno conscientiae foro emaculari.

LXIX. Sed si haec ejus mens est, tertium illud *in Conscientiae testimonio* constitutum ejus fundamentum, duobus prioribus, nihil erit solidius. Nam principium illud, *quo foro scelera maximè interdicuntur, eo posse illa emaculari;* non est universaliter verum. Quae enim foro externo & legibus positivis interdicuntur, ea interdicuntur etiam interno conscientiae foro. Et quidem quae in se indifferentia sunt, & praecise ob interdictum Magistratus peccati rationem habent, ea interdicuntur consequenter etiam interno conscientiae foro per discursum, ex principio practico, quòd *Magistratui parendum, & quae ab ipso legibus interdicuntur, fugienda sint;* & latà à Magistratu lege positivà deductum, hunc in modum: Quicquid Magistratus prohibet, illud est fugiendum. Atqui v. g. hoc illo vestitus genere uti, arma gestare, &c. Magistratus prohibet. Ergo est fugiendum. Quae conclusio est quaedam lex interna, obligans animum ad id, quod lege externà prohibitum est, fugiendum. Quod respicit *Paulus*, cum Magistratui nos subditos esse & parere jubet *non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam, Rom. XIII. 5.* Quae autem jure naturae etiam interdicta sunt: qualia sunt furta, stupra, caedes & similia, ea interno con-

no con-

no conscientia foro interdicuntur, non tantum vi adducti principii practici, naturam notissimi, quod *Magistratui parendum sit*; sed etiam vi principiorum universalissimorum, quod *honestè vivendum, nemo ledendus, suum cuique tribuendum sit*. Sed neque hæc neque illa peccata foro interno *ex pœnitentia sola* emaculari possunt: cum per experientiam constet, quod, non obstante delinquentis pœnitentiâ, in foro externo & coram Magistratu, juxta leges, à Magistratu præscriptas, emaculanda sint. Quod, ut supra vidimus, Auctor largitur.

LXX. Principium ergo, quo nititur tertium Auctoris fundamentum, quod *quo foro scelera maxime interdicuntur, eo etiam emaculari possunt*; duplici eget limitatione: Unâ, ut accipiat de foro, quo scelera interdicuntur *jure superioritatis, & auctoritate propria*. Nam ut interdictio scelerum in superioritate & auctoritate interdicens fundatur, & inde vim obligandi habet, ita & emaculatio illorum in superioritate ejusdem fundari debet. Nam modum emaculandorum scelerum præscribere, & pro arbitrio pœnas constitutas, vel illarum loco alias ad illorum expiationem satisfactiones exigere, vel denique easdem sine satisfactione condonare, non nisi ejus est, qui jure superioritatis & auctoritate propria leges tulit, & scelera interdixit. Altera limitatio, quâ eget principium illud, est, ut accipiat de expiatione scelerum, *in quantum foro illo interdicuntur*. Omnia n. scelera, quæ foro externo interdicuntur, interdicuntur etiam, si non immediatè, mediatè tamen & per consequentiam, foro divino, & quæ foro externo interdicuntur, non possunt eo emaculari, nisi in quantum eo interdicuntur. Interdicuntur autem illo, in quantum reipublicæ noxia sunt, & in tantum possunt etiam eo emaculari vel luitione pœnæ, ab auctoritate supremâ præscriptæ, vel per solutione lytri, pœnæ æquivalentis, vel denique gratuitâ pœnæ condonatione, ut tamen in foro divino, & in quantum legi divinæ adversa, atque cum offensâ Dei conjuncta sunt, non oppidò emaculentur, sed modo & medio alio emaculanda relinquuntur: sicut v. g. furem, stupratorem alio medio in foro divino Deo offenso; alio in foro externo Reipublicæ, Magistratui, parti quæ læsæ reconciliari oportere, Auctor, ut supra vidimus, agnoscit.

LXXI. Quod si hunc in modum principium prædictum limitetur, de *conscientiæ foro interno* subsumi sub illo non poterit. Conscientia enim nulla interdicit scelera *jure superioritatis & auctoritate propriâ*, sed quæ interdicit, ea vel tanquam divinæ, æternæ & immutabili legi adversa interdicit vi legis, hominum cordibus impressæ, quæ cum DEI æternâ & immutabili lege quoad rem eadem & à DEO ipso hominum cordibus inscripta est, *Roman. II. 15.* ut ad summam DEI, qui legis auctor est, auctoritatem vis obligandi redeat, vel interdicit, quæ auctoritate humanâ interdicta esse novit, per discursum, prædictum in modum ex implantato hominum cordibus principio pratico, quod Magistratui parere jubet, & positiva Magistratus lege deductum, ut rursus conscientiæ interdictio, quæ est ipsa ex præmissis illata conclusio, suam vim obligandi, non à jure quodam superioritatis, conscientiæ proprio, sed partim à jure Dei supremo & immutabili; partim à jure Magistratui conveniente habeat.

LXXII. Breviter: Conscientia non tam interdicit scelera, quàm declarat, lege divinâ aut humanâ esse interdicta; idque declarat per discursum, ex principiis, sive à Deo mentibus hominum insitis, sive aliunde acceptis, evidenter deductum. Et ut illatæ per discursum conclusiones practicæ fugere jubent scelera jure superioritatis, non quod ipsi conveniat conscientiæ, sed quod Deo & Magistratui, quorum auctoritate nituntur præmissæ, convenit: ita & transgressores accusant & reos peragunt *ira*, non suæ cuiusque conscientiæ, sed *Dei & Magistratus*: reos peragunt eosdem *pœnarum*, non à sua cuique conscientia, sed à *Deo, à Magistratu* infligendarum. Atque hinc est terror ille, quem etiam peccatoribus, superiorem in terris nec agnoscantibus, nec metuentibus, sua inquit conscientia: dum scilicet eos intus & apud animum suum convincit, quod Deum, ob violatam ejus legem immutabilem, habeant iratum, & si non jam tùm, suo tamen tempore eum experturi sint scelerum vindicem severissimum.

LXXIII. Fixum ergo immotumque manet, *interno conscientiæ foro* nulla interdici scelera *jure superioritatis*, quod ipsi insit conscientiæ, idque, ut cum Auctore loquat, *internus Sensus*
& Con-

& *Consensus universalis*, hoc est, ipsa interna & naturalis ratio, ex principiis notissimis & apud omnes populos receptis, evidentissimè docere potest. Ex quo inevitabili sequitur necessitate, quòd nulla, contra conscientiam admissa, scelera *interno conscientie foro*, præcisè & ut tali spectato, emaculari possint. Quòd consequens *Sensus internus* & *Consensus universalis*, vi antecedentis, æquè evidenter, ac antecedens ipsum, docere potest. Quo in foro enim nullum datur jus superioritatis, à quo leges, scelera interdicens, obligandi vim habeant, sed saltem per discursum, ex legibus, à Deo aut Magistratu obligandi vim habentibus, deductum declaratur, scelera esse divinâ & humanâ lege interdicta, & à Deo aut Magistratu, vel ab utroque vindicanda, in eo nec jus datur præscribendi viam modumve ad scelera emaculanda, pœnasque aut loco pœnarum satisfactiones alias pro arbitrio vel exigendi, vel remittendi: cum posterius hoc, ut ostensum, æq; ac prius, à jure superioritatis dependeat.

LXXIV. Quòd speciatim *pœnitentiam* concernit, tantum abest, ut eâ solâ scelera emaculari posse, *Sensus internus*, ut Auctor loquitur, *instinctu naturali ex notitiis communibus* doceat, ut contrarium potius doceat. Peccatores enim, qui suorum scelerum ducuntur pœnitentiâ, habent jam sensum peccatorum iræque divinæ, & agnoscunt, se offendisse Deum peccatis, & contraxisse sibi reatum pœnarum, Dei justo judicio sibi immitendarum, idq; ex dictamine & morsu conscientie percipiunt. Quemadmodum autem evidens est, & ratio naturalis ex notitiis communibus docet, peccatorem, licet pœnitentem, non posse reatu pœnarum, absque præstitâ satisfactione, se magis exsolvere & liberare, quàm debitor, quem contracti æris alieni jam pœnitet, ære alieno absque præstitâ solutione se exsolvere & liberare potest: est enim reatus pœnarum debitum luendi pœnas, aut illarum loco aliam præstandi satisfactionem, qui suapte naturâ tam obligat peccatorem ad lutionem pœnæ, vel aliam ejus loco satisfactionem præstandam, quàm debitorem, qui in alterius ære est, debitum solvendi ad præstandam solutionem obligat; ita æquè evidens est, & ratio naturalis ex notitiis communibus pari docet perspicuitate, de jure scelera

pœnitentiã solã emaculari non posse. Illorum enim, ut ita loquar, *emaculatio*, de rigore juris necessariò importat solutionem debiti, sceleribus patratis contracti: quæ solutio, ut ostensum, aliter peragi non potest, quàm ipsã sceleribus attractarum pœnarum luitione, vel aliã pœnis æquivalente satisfactione præstitã; quorum neutrum, ut vidimus, pœnitentia præstare potest. Quamobrem peccatores, pœnitentiã suorum scelerum vehementiùs correpti, non rarò in desperationem incidunt: dum scilicet reatu pœnarum æternarum ob scelera sua se teneri sentiunt, nec tamen, unde pro peccatis Deo irato satisfaciant, & debito subeundi pœnas æternas se liberent, inveniunt, pœnarum magnitudine exterriti animum despondent, & desperabundi tandem vitam miserrimam finiunt.

LXXV. Quòd si quis fortè objiciat, in Scripturis tamen tribui pœnitentiæ, quòd peccata deleat, juxta illud *Act. III. 19. Respiscite, & convertite vos, ut DELEANTUR PECCATA VESTRA*; respondemus, *Pœnitentiam*, quã, juxta Scripturam, peccata deleri dicuntur, includere satisfactionem pro peccatis. *Includit enim, præter dolorem ob peccatum, fidem in Christum*, quã ejus pro peccatis nostris præstita plena & ad placandam iram divinam undiquaque sufficiens satisfactio apprehenditur, Deoq; Patri pro peccatis nostris *ἀντὶ* loco exhibetur, ut alibi ex Scripturis docetur. Quæ autem ab Auctore, tanquàm universale expiandorum peccatorum medium commendatur, & hïc in considerationem venit, constituitur præcisè in *dolore ob peccatum*, nec quicquam, præter moralem peccati retractationem, continet, ut supra ostensum.

LXXVI. Sed hïc fortè quis regeret, Auctorem etiã conjungere cum pœnitentia *FIDEM IN DEUM*. In verbis enim, suprã *n. LV.* citatis dicit inter alia, *Solã ex pœnitentiã & FIDE IN DEUM posse vitia & scelera quæcunque eliminari.*

LXXVII. Ita sanè ibi verba ejus habent, quamvis aliàs ubiq; locorum pœnitentiæ, absq; ullã fidei mentione, vim expiandi peccata adscribat. Sed *fidei* appellatione non intelligit *fidem*, quæ sive præstitam à Christo, sive aliam quamcunque satisfactio-

tis fa-

tisfactionem pro peccatis in se contineat, & cui vi contentæ in se satisfactionis aliqua expiandorum peccatorum ratio aut vis conveniat. Talem enim fidem à quibusdam *Theologastris* quidem tradi, Gentilibus verò planè ignotam fuisse contendit, in *Tr. de Relig. Gent. pag. 190.* Verba ejus sunt: *Nihil Gentilibus minùs persuasum fuit, quàm ut ex fide aliquà, quantumvis laxà, cælos comparare posset quispiam, nisi Virtutes omnes cum summâ conjunctæ Pietate, præirent, viamq; sternerent: quum tamen ex SOLA FIDE felicitatem æternam se adipisci posse, tradant quidam THEOLOGASTRI.*

LXXIIX. Quam ergo fidem per FIDEM IN DEUM intelligat, sollicitiùs inquirenti, patebit, fiduciam, in Dei bonitate & misericordiâ defixam, eum intellectam velle. Præterquam enim quòd ex usu loquendi *fides in Deum* pro *fiducia in Deo* ejusque bonitate communiter accipitur, Auctor etiam agnoscit d. l. quòd apud Gentiles vox *fidei* frequenter *fiduciam* denotet. Quò collineare etiam videntur, quæ pag. subseq. subjicit: *Quamvis, inquiens, idè Veterum virtutes eadem ac nostræ fuerint, non ita fides: sic tamen est, ut non ambigam, quin si Virtus omnis Pietasq; eorum animis insedisset, Fides sive spes interna circa meliorem vitam, ex ingenti Dei misericordiâ, illi affulserit. Quibus fidem ipse per spem explicat, ratus, inter fiduciam & spem nihil, vel certè parum intercedere discriminis: sicut ibidem in explicatione spei dicit, Spem firmam Gentilibus ferè idem ac inter nostros fidem sive fiduciam significare. Impræsentiarum tamen inter fidem in Deum & spem non nihil discriminis intercedere haud invitus, puto, largietur. Spem enim ipse definit cum Cicerone per expectationem Boni, ejusque objectum constituit in bono futuro, & cum primis in futura vitæ alterius felicitate; fidei in Deum verò objectum, vel ipsis vocibus indicantibus, est Deus, tanquàm bonum præsens, ejusque bonitas & misericordia, ut causa impetrandæ apud ipsum remissionis peccatorum & vitæ æternæ apprehensa.*

LXXIX. Cæterùm sive pœnitentiâ, ut cum fide in Deum ejusque bonitatem conjuncta, sive in se præcisè spectetur, neutro tamen modo vim expiandi peccata obtinere potest. Non in se præcisè sumpta: quia sic, ut hæctenus ostensum, in suo conce-

ptu nihil importat, præter moralem peccatorum retractationem, quam ad peccatorum expiationem quidem requiri, non autem sufficere, hætenus, ut opinamur, abundè evicimus. Neque ut *cum fide in Deum* conjuncta est: quia *fides in Deum* quoque, prout hîc ab Auctore accipitur, nullam includit satisfactionem pro peccatis. Nititur enim præcisè *Dei bonitate & misericordiâ*; & peccator hâc ipsa de causa per eam confugit ad *Dei bonitatem & misericordiam*, quòd unde læsæ ejus justitiæ faciat satis, non habet aut invenit. Deo autem, non obstante ejus fide, adhuc integrum manet, peccata pro arbitrio ei vel gratis & sine satisfactione præstitâ condonare, vel eadem non condonare, sed satisfactionem ad justitiæ normam rigidè exigere: perinde ut in foro externo, cum, qui deliquit, pro delicto satisfacere non potest, fiduciam autem impetrandæ gratiæ in Principis bonitate & misericordiâ concepit, Principi integrum manet, non obstante conceptâ delinquentis fiduciâ, delicti pœnam ad legum præscriptum exigere: ut ita evidens sit, *fidem in Deum*, sive fiduciam in *Dei bonitate & misericordiâ* conceptam, per se non solvere peccatorem debito subeundi pœnam, peccatis attractam, vel ejusdem loco aliam præstandi satisfactionem.

LXXX. Quid? quod *fides in Deum* certa & firma in homine peccatore, citra satisfactionem pro peccatis, non datur. Est enim formaliter *fiducia*, in *Dei bonitate & misericordiâ*, ut causâ impetrandæ apud ipsum gratiæ & remissionis peccatorum *cognitâ*. Nisi enim quis cognitum exploratumque habuerit, bonitatem & misericordiam divinam esse Deo causam aut rationem impulsivam ad peccata peccatoribus pœnitentibus gratis & sine satisfactione condonanda, ipsumque, eâ motum, velle illis peccata gratis & sine præstitâ satisfactione condonare, *fidem* seu *fiduciam* impetrandæ apud eum gratiæ & remissionis peccatorum in *ejus bonitate & misericordiâ* animo concipere non poterit. Hoc verò velitne? an nolit Deus? quia in ejus libertate positum est, aliunde, quàm ex divinâ revelatione innotescere non potest. Unde qui divinâ revelatione destituuntur, illi ut de deo certi esse non possunt, ita nec certæ in
Deum

Deum fidei, sive fiducia, Dei bonitate & misericordiâ nixæ, capaces sunt, sed si quis solâ Dei bonitate & misericordia fretus de impetranda peccatorum venia benè speret, incertâ & multiplici cum dubitatione conjunctâ persuasione nitetur hæc præsumpta ejus sive spes sive fiducia, quæ etiam in conscientiæ pavoribus & angoribus oppidò expirabit, & in ventum abibit. Quibus autem Scripturæ θεοπνευστοι suppetunt, & quæ Dei de reparanda hominum salute voluntas sit, ex iis cognitum perspectumque est, illi ut certò norunt, Deum nolle peccata condonare, citra prælitam à Christo satisfactionem pro peccatis nostris, ita fidem in Deum, sive fiduciam in Dei bonitate & misericordia defixam animo concipere non possunt, nisi conceptâ priùs fide in Christi satisfactione pro peccatis nostris, quæ Deus, placatâ ejus irâ, nobis redditus est propitius, ut alibi ex Scripturis docetur.

LXXXI. Hæc quamvis, præsertim inter Christianos, certa & indubitata sint, Auctor tamen in *Traçt. de Relig. Gentil. pag. 199.* plures affert rationes, quæ ad fidem in Deum peccatorem pœnitentem ductu luminis naturæ excitare & stimulare possint & debeant. Verum enim verò, inquit, si justitiæ Divinæ hanc factum satis ex pœnitentia dixissent fortè Sacerdotes, acerbiorémq;, quàm ex dolore interno, exigi debere pœnam contendissent, hisce ita occurritum temporis potuit: I. Deum summum esse Patrem commuem, adeoq; in filium pœnitentem haud graviter adversurum: II. Homines naturâ suâ fragiles, peccatoq; obnoxios esse: III. Peccata hominum non tam in Dei contumeliam, quàm in propriam utilitatem sub boni alicujus apparentis obtentu fieri plerumq; ac licet in eo homines fallerentur, nihil tamen infenso in Deum animo patratum fuisse: IV. Pœnam in hac vita satis gravem ob peccata hujusmodi infligi posse: V. Si ulterior aliqua irrogari debeat pœna, Deum summum post hanc vitam ad tempus aliquod breve, vel etiam diuturnum supplicium de peccatoribus sumere posse.

LXXXII Sed ista rationum momenta leviora sunt, quàm quæ ad fidem in Deum ejusque bonitatem & misericordiam anxium ex sensu peccati iræque divinæ animum inducere possunt. Sive enim sigillatim, sive junctim sumantur, nullâ tamen
con-

consequentia lege inferent id, in quo Auctor istius, quæ in Deum est, fidei fundamentum constitutum vult, nempe Deum VELLE pro suâ merâ bonitate & misericordiâ pœnitentibus peccata, sine præstitâ satisfactione, remittere. Quin dolenti ob peccata iramque Dei expavescenti peccatori vix occurrunt id generis rationes, vel si fortè occurrant, dispellentur tamen statim per alias oppositas, quæ, præsertim accedentibus conscientia pavoribus, multò plus valebunt ad animum dejiciendum, & ne fiduciam in Dei bonitatem defigere possit, deprimendum, quàm illæ ad eum, defixâ in Dei bonitate fiducia, erigendum. Primum enim, qui jam ex internis morsibus & pavoribus sentiunt, se habere Deum iratum ob peccata sua, illi suæ conscientia testimonio edocti, firmiter sibi persuadent, peccatoribus pœnitentibus etiam, quòd læsæ Majestati divinæ facere satis non possint, Deum non Patrem benignum, sed judicem iratum & scelerum vindicem severum esse. Etiam si enim scelerum patratorum eos pœniteat, per hoc tamen nec debito satisfaciendi ipsos solvi, nec, nisi satisfactio pro peccatis accedat, iram Dei adversus peccata placari posse, præter adductas superius rationes evidentes, ipsi interni angores & cruciatus animi docere eos possunt; non autem æquè docere possunt, Deum velle pro suâ merâ bonitate jure suo cedere, & satisfactionem, ad quam jure peccatores obligantur, non exigere, atque adeò velle sine interveniente pro peccatis satisfactione se erga illos ut Patrem erga filios gerere. Deinde ne fortè prætextu fragilitatis humana, vel quòd non animo offendendi contumeliâq; afficiendi Deum peccaverint, peccatores sibi blandiantur, ipsa cavet illorum conscientia, quæ mille testis est, & intus unumquemque convincit, quòd non solum à Deo averfus naturâ, & in nullum non malum pronus sit, sed etiam quòd modò cogitationibus & concupiscentiis internis, modò dictis & factis externis indefinenter peccet, peccatisq; undiquaq; contaminatus Deo non possit non exosus & abominabilis esse. Tertio scelera hominum non in hâc tantum vitâ, sed in alterâ etiam, justo Dei judicio, vindicatum iri, Gentilibus etiam ex lumine naturæ esse notum, eò minus Auctor negare potest, quòd notitiis natura

turâ



turâ in fitis & planè communibus, quibus omnis nitatur religio, hanc etiam accenset : *Dari præmium & pœnam cum in hac vita, tum post hanc vitam.* Quamvis verò pœnarum genera & species, quæ in vita altera peccatoribus luendæ veniant; & num æternum duraturæ? an verò post breve longumve tempus finem habituræ sint? ratio naturalis ex se & connato suo lumine distinctè explicare & certò determinare non possit, gravissimas tamen & omnium maximè terribiles eas fore, conscientia pavorès abundè evincunt. Nec diffitetur Auctor *d. l. p. 210.* Gentiles agnovisse, *malos mala in æternum manere*, atque adèò in vita altera pœnas fore sempiternas.

LXXXIII. Quicquid tandem in hoc illove homine rationes adductæ obtineant : Si quis peccator, citra præstitam à Christo satisfactionem pro peccatis suis, solâ Dei bonitate confusus, Deum se propitium & Patrem habere persuadeat, sive quòd scelera sua à se homine *fragili & peccatis naturâ obnoxio*, sive quòd *non tam in Dei contumeliam, quam in propriam utilitatem sub boni alicujus apparentis obtentu*, sive quòd *non infenso in Deum animo* commissa esse opinetur, certum est, eum falsum iri, ejusque fiduciam temerariis innixuram præsumtionibus : cum ex Scripturis divinitus inspiratis contrarium liquidò pateat, nempe homines *naturâ esse mortuos per peccatum, & filios iræ, Eph. II. 1. 3.* & omne *sigmentum cordis humani tantum malum esse inde à pueritia, Gen. VI. 5. c. II. 21.* Deum verò nolle peccatoribus, nisi per Christi satisfactionem sibi reconciliatis, propitium esse, *Joh. III. 16. 18. 36. Act. IV. 12.* & ab his, qui per eam sibi reconciliati non fuerint, exquisitissimam peccatorum, etiam *cujusq; verbi otiosi, quòd locuti fuerint, rationem exacturum, Matth. XII. 36.* æternisque tandem pœnis peccata vindicaturum, *Matth. XXV. 41. c. XXII. 8. II. Thess. 1. 9. Jud. v. 6. 13.*

LXXXIV. Sed eò unde digressi sumus, revertamur. Excussis Auctoris fundamentis tribus, *Religionum sc. consensu universali, Bonitatis divinæ conditione, & ipsâ Conscientiâ*, quibus opinione de eluendis solâ pœnitentiâ sceleribus hominû suffultum ivit, DUO expendenda supersunt ABSURDA, quæ nobis secus

F

sen-



fentientibus inevitabili necessitate admittenda esse, in loco & verbis, superiùs n. LV. citatis, contendebat.

LXXXV. Prius absurdum erat: *Nullum universale ita patere vel olim patuisse Remedium, ut fuerit, quò confugeret misera ex peccati sensu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret.*

LXXXVI. Illud verò ullâ necessitate nobis admittendum esse, negamus & pernegamus. Quamvis enim *universale remedium, ut sit aut fuerit, quò confugeret misera ex peccati sensu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret, ex sola poenitentia, quæ in dolore ob peccatum constituitur, patere vel olim patuisse negemus: ex Christi satisfactione tamen, quam pro nostris & omnium, quotquot unquam fuerunt & futuri sunt, hominum peccatis præstitit, tale universale Remedium patere & olim patuisse agnoscimus, idque agnoscimus Scripturarum θεοπνευστων, quibus falsum subesse non potest, ductum sequuti. Docent enim Scripturæ θεοπνευστοι, Christum semel in consummatione seculorum AD PECCATUM, per immolationem sui ipsius, abolendum patefactum esse, Ebr. IX. 26. & PRO PECCATIS oblatâ victimâ perpetuò sedere ad dextram Dei, c. X. 12. Unicâ oblatione perfectos effecisse in perpetuum eos, qui sanctificantur, v. 14. Eum peccata nostra sursum tulisse in corpore super lignum, quò peccatis mortui justitie viveremus, cuius vulneribus sanatisimus, I. Petr. II. 24. Sanguinem Christi, qui per Spiritum aeternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundare conscientiam nostram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo. Ebr. IX. 14. Christi mors ergo & sanguis ejus, pro peccatis nostris effusus, est REMEDIUM illud, quo reconciliamur Deo, reconciliatique ab ira servamur, sicut scitè Gentium ait Apostolus, in hoc commendare Deum suam charitatem erga nos, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit; & hinc infert, multo magis justificatos nunc sanguine ipsius servatum iri PER EUM AB IRA. Nam si, inquit porrò, cùm inimici essemus, RECONCILIATI FUIMUS DEO PER MORTEM FILII EJUS, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius, Rom. V. 8. seqq.*

LXXXVII.



LXXXVII. Neq; minùs perspicuè docent Scripturæ lau-
data, illud in Christo ejusq; satisfactione pro peccatis posi-
tum Remedium esse UNIVERSALE. Docent enim, Christum esse
Mediatorem Dei & hominum indefinitè, atque adeò omnium ho-
minum, eumq; dedisse sese ipsum $\alpha' \tau\lambda\upsilon\tau\epsilon\gamma$ PRO OMNIBUS,
I. Tim. II. 5. 6. mortuum esse PRO OMNIBUS Ebr. II. 9. Esse
propitiationem pro peccatis nostris, NEC PRO NOSTRIS TAN-
TUM, sed etiam PRO TOTIUS MUNDI peccatis, I. Joh.
II. 2.

LXXXIIX. Quamquam verò Deus IN PLENITUDINE
TEMPORIS sive completo tempore demum misit Filium suum,
factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant ob-
noxii, redimeret, Gal. IV. 4. 5. nempe in CONSUMMATIONE
SECLORUM, sive diebus novissimis, quibus semel ad peccatum
per immolationem sui ipsius abolendum Christus patefactus est, Ebr.
IX. 26. ipsa tamen tempore constituto præstita satisfactio pro
peccatis, quoad valorem, universalis est, & ad omnes omnium
temporum & ætatum homines se extendit. Ea enim habet se
ad reparandam homini gratiam, remissionem peccatorum &
salutem æternam per modum causæ MERITORIÆ. Quem-
admodum autem aliàs meritoriis causis omnibus commune
est, ut pro renata etiam priùs, quàm existant, valore meriti
præcogniti, suam causandi vim exerere, & voluntatem causæ
efficientis ad agendum movere possint: ita Christi satisfactio
pro peccatis, suo tempore quidem præstanda, sed à Deo & ho-
minibus peccatoribus præcognita, benè potuit omni tempore
& Deo esse causa vel ratio, unde moveretur ad recipiendos in
gratiam homines peccatores, remittendaq; illis peccata; &
peccatoribus REMEDIUM, ut fuerit, & sit, quò misera ex peccati
sensu languentium turba confugeret, & confugiat, haberetq; & ha-
beat, unde pacem illam internam cum Deo conciliaret & conci-
liet.

LXXXIX. Quòd autem Deo Christi satisfactio pro pec-
catis, priusquam præstaretur, præcognita fuerit, dubium
non habet. Præterquam enim, quòd ejus omniscientiam la-
tere nihil potest, ipse etiam ab æterno eam decrevit, & ut suo

tempore præstaretur, pro suâ benevolâ in nos voluntate constituit, ut hinc manibus sceleratis crucifixus dicatur τῆ ὤρισ-
μένη βουλῆ καὶ προγνωσθῆ Θεῶ, *definito consilio & præscientiâ,*
vel potius, ut *Beza* reddit, *præstituto* five *decreto Dei*, *Act. II. 23.*
& hostes ac persecutores illius dicantur convenisse in civitate
Jerusalem, *ut facerent, quæcunque manus & consilium Dei prius*
definierat, ut fierent, c. IV. 28.

Xc. Quòd verò eadem *hominibus peccatoribus* etiam præ-
cognita, vel certè ita patefacta fuerit, ut si absque hominum
negligentiâ, malitiâ & contemptu Verbi divini fuisset, omnibus
quovis tempore nota esse potuisset, facile intelligitur. Primum
enim Deus ipse, quæ ejus in homines bonitas erat, à primo sta-
tim lapsu, existentibus adhuc in Paradiso Protoplastis, eam
prænuñciavit, quando, promulgato Protevangelio, *Semen mu-*
lieris caput Serpentis contriturum esse, prædixit, *Gen. III. 15.* De-
inde prædictionem hanc S. Patriarchis etiam, & postea per e-
doctos à se Prophetas sanctos populo Israëlítico subinde, ad-
jectis declarationibus uberioribus, repetiit, donec *Semen* illud
promissum, ex Maria Virgine natum, reapse exhiberetur. Quò
respicit *Petrus*, quando Deum dicit misisse τὸν προκεκηρυγμένον
PRÆNUÑCIATUM *Jesum Christum*, *Act. III. 20.* & omnes Pro-
phetas à *Samuele* & deinceps *iis qui fuerunt, quotquot loquuti sunt,*
PRÆNUÑCIASSE *dies istos*, quibus scilicet Christus in carne
exhibitus est, *v. 24.* quin & omnes Prophetas *dedisse ei testimonium,*
quòd REMISSIOMEM PECCATORUM accepturus sit PER
NOMEN EJUS, *omnis qui crediderit in eum, c. X. 41.*

Xci. Sed ad hæc Auctor vel quis alius forsan excipiet,
Christum esse quidem à Deo & Prophetis prænuñciatum, sed
non omnibus hominibus: in Scripturis sacris enim paucos ad-
modum memorari, ad quos Deus immediatè loquutus sit, &
venturum Messiam prædixerit; Prophetas verò in solo populo
Israëlítico extitisse: quin multos etiam populos & olim exti-
tisse, & etiamnum existere, quibus etiam de Christo in carne
exhibito nihil innotuerit.

Xcii. Quanquam verò quæ de universali hominum vo-
catione ad salutem agitari solet, quæstio majoris est operæ,
quàm

quàm quæ hîc loci pro chartæ angustia expediri possit, tamen ne prorsus intacta relinquatur allata exceptio, jam monuisse saltem sufficiat, quòd quibus Deus futuram Christi satisfactionem pro peccatis per se & immediatè prænuñciavit, eos etiam ad eandem, aliis denunciandam & promulgandam, donis necessariis instruxerit, ut illorum ministerio & operâ omnibus innotesceret. Et sanè tribus præcipuè vicibus Deus eam universaliter omnibus promulgari curavit: semel quidem *post lapsum per Adamum*; iterum *post diluviũ per Noam*; tertium *post exhibitum in carne Christum per Apostolos*. Ab Adamo ejusque filiis usque ad tempus diluvii; à Noa & filiis ejus usque ad exhibitum in carne Mesiam; ab Apostolis & illorum in munere prædicationis successoribus ad hæc usque tempora, & deinceps in omnem, quæ fuit & futura est, posteritatem Christi Mediatoris & præstandæ per ipsum præstitæve pro peccatis satisfactionis notitiæ, si absque hominum contemptu & malitia fuisset, transmitti tam potuisset, quàm debuisset, ut quò confugerent miseri & ex sensu peccati anxii peccatores, omni loco & tempore haberent. Quâ in re quia nobis, chartæ angustia exclusis, jam proluxioribus esse non licet, quæ majoris perspicuitatis causâ subjungi hîc poterant, in conflictum, vel etiam aliam pro re nata occasionem rejicimus.

XCIII. Qui ergo notitiâ Christi Mediatoris & præstandæ aut præstitæ per ipsum satisfactionis pro peccatis destituti fuerunt, aut destituuntur, illi destituti sunt & destituuntur eâ non Dei, sed *Majorum & suâ culpâ*. Majorum quidem culpâ: quòd suæ salutis nimium prodigi, remedium illud peccati universalissimum, Dei peculiari gratiâ, sibi æquè ac aliis promulgatum, susq; deq; habuerint, & ad posteros suos ejus notitiam transmittere dedignati sint. *Suâ verò culpâ*, quòd in Ecclesiâ, quærentibus semper obviâ, ubi quotidie publicè proponi & inculcari solet, id vel per contemptum vel per negligentiam non investigarint aut investigent, quàmvis tot acceptis beneficiis ad Deum quærendum continuò invitati fuerint, & invitentur, docente Gentium Apostolo *Act. XIV. 17. 6. XVII. 27.*

XCIV. Quamvis ergo genus humanum non ex solâ pœnitentia

nitentia habuerit aut habeat; ex CHRISTO MEDIATORE tamen & in ipso semper habuit habetque MEDIUM, unde DEO acceptum esse potuit & potest: ut si qui eo exciderint & excidant, non jam ex DEI beneplacito, sed ex proprio cujusque peccato, contemptu & malitiâ perditionem uniuscujusq; extitisse & extare, nec per Deum stetisse aut stare, quò minus salvi fierent & fiant, fatendum sit. Hinc stante etiam, quòd nec solâ ex pœnitentiâ vitia & scelera quacunque eliminari possint, nec justitia divina bonitas divina ad eò sit λυτew, ut non sit, quò ulterius provocetur, in Mediatore tamen Dei & hominum, homine Jesu Christo, pro omnibus in mortem dato, Deus erga miserum genus humanum abundè suam declaravit bonitatem, gratiam & misericordiam, juxta illud Pauli: Commendat suam erga nos charitatem Deus, eò quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit, Rom. V. 8. Neq; quicquam causæ est, cur in id tandem deveniendum sit, ut quosdam (imò longè majorem hominum partem) inscios, nedum invitos & creaverit, & damnaverit Deus Optimus Maximus, ut Auctor opinatur. Unde hoc alterum absurdum, quòd Auctor consecutum dicebat, ultrò cadit.

XCV. His ita habentibus, nemini non patet, quâ tertium Auctoris articulum in cultus divini parte potissimâ & omnium primâ, quæ quidem Deo peccatis offenso ab homine peccatore debetur; & quâ quartum in ratione expiandi & emaculandi hominum peccata ostendendâ & præscribendâ deficere lumen naturæ, & cum eo Auctorem, penitus, nec suggerere posse, quæ jam in statu naturæ corruptæ homini peccatori ad consequendam apud Deum gratiam, remissionem peccatorum & salutem æternam necessaria sunt. Ex quò porrò pronâ fuit consequentiâ, quòd allati superiùs QVINQUE Auctoris ARTICULI, quos COMMUNES circa Religionem NOTITIAS appellat, nemini mortalium ad salutem sufficient.

XCVI. Neque moramur ejus, superiori n. XIV. adductas, rationes, quibus illorum sufficientiam, citra audaciæ & temeritatis notam, negari non posse probatum ivit. Non enim plus habent virium, quàm aliæ, quæ ab ipso hætenus objectæ & nobis discussæ dejectæq; sunt, XCVII.

XCVII. Prima erat, *nulli satis explorata esse judicia divina*, quæ, si quid valet, non minùs contra Auctorem, quàm contra nos militabit. Si enim judicia Dei de hominum salute nemini satis explorata sunt, non minùs audaciæ & temeritatis notam incurret Auctor, qui prædictorum quinque articulorum sufficientiam ad salutem asserit, quàm nos, qui eam negamus. Neque est, quod obtendat Auctor, se non asserere illorum sufficientiam ad salutem, sicut loco supra citato, cum *judicia divina nulli satis explorata esse* dixisset, subjiciebat: *quam etiam ob causam neque eos sufficere protinus dixerim*. Ex his enim, quæ hactenus ab ipso disputata sunt, patet liquidò, quòd sui oblitus promissi sufficientiam illorum non solum asseruerit, sed etiam argumentis, quamvis lubricis, propugnauerit.

XCIIIX. Cæterùm *judicia divina* de reparandâ hominum salute nemini esse explorata, negamus. Iis enim, qui Scripturas sacras præ oculis habent, occulta esse non possunt, sed, quantum sufficit, cognita & explorata sunt. Ne longè abeamus, summam illorum CHRISTUS ipse *Job. III. 14. seqq.* hisce complexus est, nobisq; revelavit, verbis: *Sicut Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis: us quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum, ut damnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur: qui vero non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.*

XCIX. Hæc, ritè perpensa, perspicuè satis docent, *Dei judicia* de reparandâ hominum salute exigere primò omnium *satisfactionem pro peccatis*. Deindè quia homines peccato corrupti pro peccatis suis facere satis non poterant, docent porrò, Deum pro suâ imensâ in illos charitate voluisse, ut *Filius hominis*, qui & *suis unigenitus Filius est*, *Jesus Christus* patiendò & moriendò pro illis faceret satis; quem proinde, cruci affixum, extolli oportuerit ad modum serpentis ænei, à Mose in deserto elati, quòd *peccata nostra ipsemet sursum efferret in corpore suo*

*suo super lignum illud, ut Petrus loquitur in Epist. I. c. II. 24. & per
 immolationem sui ipsius ea aboleret, Ebr. IX. 26. Tertio docent,
 Deum voluisse, ut Filius suus unigenitus passione & morte suâ
 pro peccatis totius generis humani faceret latis. Dilexit enim
 Deus MUNDUM; misit Filium suum in mundum, non ut da-
 mnaret MUNDUM, sed ut servetur MUNDUS per eum. Quæ verba
 non in se solùm clara sunt, hocque, quod diximus, important:
 vox *mundus* enim, metonymicè pro hominibus in mundo con-
 tentis accepta, de se totum denotat genus humanum; sed lu-
 cem etiam sortiuntur ex contextu. *Mundus* enim, quem dile-
 xit Deus, & cuius servandi causâ Filium suum misit, continet
 cum *credentes, qui non pereunt, sed habent vitam æternam, tum
 incredulos, qui pereunt*, ut evincunt hæc, quæ inserta leguntur:
Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam;
*&: Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam
 condemnatus est;* quæ offusas ex Reformatorum glossâ, quòd vo-
 ce *mundus* soli denotentur *electi*, nebulas penitus dispellunt.
 Quartò docent, ex parte hominum exigì à Deo *FIDEM IN
 CHRISTUM*, quâ præstita ab ipso satisfactio pro peccatis ap-
 prehenditur. Dicunt enim, Deum dilexisse mundum, & de-
 disse Filium suum unigenitum, ut *QVISQVIS CREDIDERIT
 IN EUM, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ex quo non
 solùm per bonam consequentiam deducitur, quòd quisquis
 non credit in eum, credendoq; præstitâ ab ipso satisfactionem
 apprehendit, salute excidat, ob defectum fidei, ex parte ipsius
 requisitæ; sed ipse *Filius Dei, qui est in sinu Patris, ut Johannes c. I.
 18.* eum describit, & proinde judiciorum divinorum de repa-
 randa hominum salute omnium optimè gnarus est, conceptis
 verbis nos ita docuit: *Qui, inquit, credit in eum, non conde-
 mnatur. Qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non cre-
 didit in nomen unigeniti Filii Dei.**

Argum. C. Hinc ita argumentamur: Quicumque non credunt
 in Filium Dei unigenitum, Dei & hominum Mediatorem uni-
 cum, illi, juxta patefacta à Filio Dei judicia divina de reparan-
 dâ hominum salute, ad salutem non pertingunt, sed conde-
 mnantur. Atqui qui solis quinque ab Auctore recensitis arti-
 culis

culis sive communibus circa religionem notitiis nituntur, non credunt in Filium Dei unigenitum, Dei & hominum Mediatorem unicum. Ergo qui solis quinque ab Auctore recensitis articulis sive communibus circa religionem notitiis nituntur, juxta patefacta à Filio Dei judicia divina de reparandâ hominum salute, ad salutem non pertingunt, sed condemnantur. Minor constat ex intuitu prædictorum quinque articulorum, quorum nullus vel mentionem saltim **FILII DEI** facit. Major autem propositio ex hæcenus dictis evidens est.

CI. Neque est, quòd quis forte cum *Halderico Zvinglio lib. I. de Prov. part. I. Op. fol. 370.* excipiat; *Non esse universale, quòd, qui fidem non habeat, damnetur, sed qui fidei rationem exponi audivit, & in perfidia perstat ac moritur, hunc posse fortasse inter miseros abjici.* Primum enim hæc Servatoris propositio: *Qui non credit, jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei;* est ex censu illarum, quæ *Aristoteli* dicuntur *per se in quarto modo.* In ejus subjecto enim formaliter includitur causa, cur prædicatum ei insit. Nam causa condemnationis est *aristia* sive *carentia fidei in Christum*, ut ex adjecta reduplicacione; *quia non credidit in nomen unigeniti Filii;* intelligitur. Propositiones autem *per se in quarto modo*, licet signum universale præfixum non habeant, vi materiæ tamen universales sunt, & de omni procedunt subjecto, in quo causa prædicati formaliter continetur, atque adeò *universale est, quòd qui fidem in Christum non habeat, damnetur.* Deinde in universa Scriptura non alia traditur ratio pertingendi ad salutem, quàm *per Christum Mediatorem, & fidem in illum.* Quin aliam dari negatur verbis conceptis: *Non est in alio quoquam salus; nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari,* inquit *Petrus Act. IV. 12.* Si autem extra Christum & absque fide in illum sive per pœnitentiam, sive per aliud quodcunque medium via ad salutem pateret his, *qui fidei rationem exponi non audiverunt, ut Zvinglius contendit, esset utique in alio salus, si non in homine mediatore alio, in alio tamen medio, essetque aliud nomen, vel res alia sub cælo, per quam, si non nos, qui fidei rationem exponi audivimus, alios tamen servari oporteat.* Quod, quia

quia verbis *Petri* è diametro adversatur, res ipsa loquitur, quòd *Zvinglii* glossa invitis & reclamantibus Scripturis conficta sit, & consequenter quòd *universale sit*, quòd *quisquis fidem in Christum non habet*, condemnetur.

CII. Altera his proponitur verbis: *Attamen magis probabilis mihi videtur eorum opinio, qui aequè piè ac leniter de Dei judiciis statuunt, dum homo, quod in se est, praestat.* Auctor videtur hoc velle: *Quamvis judicia divina de reparanda hominum salute sibi satis explorata non sint, se tamen in mitiorem descendere sententiam, quâ statuitur, quòd homini, quod in se est, praestanti, Deus gratiam & salutem non deneget.* Et quia, qui praedictos quinque articulos tenent, & ad illorum ductum virtutem sectantur, scelerumque poenitentiam agunt, quod in se est, praestant; probabile esse, quòd eis gratiam & salutem Deus non deneget, & quòd consequenter praedicti quinque articuli ad salutem ipsis sufficiant. Atque hæc est illa *de Dei judiciis aequè piè ac leniter statuentium opinio*, quam sibi magis probabilem videri profitetur.

CIII. Et sanè si ei sacrae annuerent Scripturae, nos aequè facile, atque Auctor, nostrum adjecturi essemus calculum. Do-lemus enim vicem & conditionem Gentilium miseriam, quòd multitudine infinitâ *in vanitate mentis suae ambulant, obtenebratam habentes cogitationem, ab alienati à vita Dei propter ignorantiam, quae est in ipsis per obdurationem cordis ipsorum; quòd sint absque Christo, alieni à republica Israelis, & extranei à fœderibus promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo, ut Paulus illorum conditionem describit Eph. II. 12. c. IV. 17. 18.* & si quâ Scripturis congruâ ratione, extra Christum, salus adscribi illis posset, aequè leniter, atque Auctor, sensuri, salutemque iis vendicaturi essemus. Quia autem Scripturae sacrae multò aliter de judiciis divinis nos erudierunt, nempe quòd extra Christum non sit salus, *Act. IV. 12. quòd ò ἀπισθῶν τῶ υἱῶ, qui incredulus est Filio, ut Vulgatus interpretes reddidit, vel, qui non obtemperat Filio, juxta Bezae interpretationem, NON VISURUS SIT VITAM, sed IRA DEI SUPER EUM MANEBAT, Joh. III. 36. quòd QVI NON CREDIT IN FILIUM, JAM CON-*

CONDEMNATUS SIT, *quia non crediderit in nomen unigeniti Filii Dei, v. 18.* ista Auctori probabilis visa opinio apud nos & alios, qui in rebus ad hominum salutem spectantibus pro eo ac oportet, Scripturarum auctoritate ducuntur, nihil probabilitatis obtinere potest, sed multò rectiùs, ut falsa & divinæ revelationi adversa à nobis rejicitur, quàm ab illo ut probabilis recipitur.

CIV. Obtendit tamen Auctor: *Non in cujusvis potestate esse, ut fides sive traditiones, quantumvis laxæ, (præsertim ubi aliquæ ex parte controvertuntur) ad se satis pertingant.*

CV. Verùm non Dei, sed hominum culpâ fit, quòd Scripturæ sacræ (has enim *traditionum* appellatione intelligere videtur) & quæ in illis continentur, doctrinæ fidei vel non omnibus æquè obviæ, vel controversiis implicatæ & perplexæ redditæ sunt, atque hinc aditus ad Christum Mediatorem fidei in Christum non omnibus æquè facilis est. Neque tamen ita angustis locorum cancellis conclusæ aut controversiis ita involutæ sunt, quin inveniri à quærentibus, & ubi inventæ sunt, Christus Mediator ac requisita in eum *fides* mediocri studio & industria erui ex illis possint. Sunt enim Christi fideles per omnes Orbis partes diffusi, & Scripturarum codex, in quasvis linguas translatus, ubique haberi solet, ubi Christianorum cœtus reperiuntur.

CVI. Tertia denique ratio Auctoris erat, quòd prædictis quinque articulis *ex recta communiq; ratione non addi posse dogma, unde magis sinceri piiq; evadant homines; aut pax concordiaq; publica magis promoveatur.*

CVII. Sed hæc etiam nullius est momenti. Supponit enim tanquam certum, quòd *recta communisq; ratio* sufficienter contineat & præscribat, quæcunque salutem adepturo cognitu & factu necessaria sunt, & quæ ex illa deduci non possunt, ad salutem non sint necessaria: quæ est petitio ejus, quod in principio, imò quod apertè falsum est, & cujus falsitas ex ipsa *recta communiq; ratione* evidenter doceri potest, ut superiùs ostensum. Faciamus ergo, ex *recta communiq; ratione* *quinq;* Auctoris articulis *non posse addi dogma, unde magis sinceri piiq; evadant homines; aut pax concordiaq; publica magis promoveatur:*

num propterea articuli isti ad salutem sufficiunt? Quid enim? si *recta*, quæ dicitur, *communisq; ratio* in tradendâ sinceræ pietatis doctrinâ pro hoc naturæ corruptæ statu non sit *recta*, sed corrupta, cæca, erronea, & unde verè *sinceri piiq; evadant homines*, non ex illâ, sed ex divinâ revelatione addiscendum veniat?

CIX. Sanè in reconciliatione hominis peccatoris cum Deo tradenda cæcutire vel deficere eam, nec medium, unde peccatores Deo pro peccatis suis faciant satis, eique reconcilientur, ostendere aut suggerere posse, supra evidenter, ut opinamur, demonstravimus. Homines peccatores autem, Deo non reconciliati, averfi sunt ab ipso naturâ, eumque nec sincerè diligere nec, nisi serviliter, timere, nec ullam aliam cultus interioris partem ritè præstare queunt. Neque etiam proximum, ut oportet, diligere, aut vitæ sanctimoniam veram sectari possunt: ut ita nihil sinceri, nihil verè pii per naturale rationis dictamen naturæque vires in ipsis & tota illorum vita invenire liceat. Qua de re supra egimus pluribus. Contrâ autem in *Christi satisfactione pro peccatis, & in fide in Christum*, quam Rationi humanæ omni absconditam, solæ docent Scripturæ, habent peccatores, unde & Deo reconcilientur, & reconciliati eum sincerè diligant, filialiter timeant, confidant & sperent in ipso, proximum ament, vitæque sanctimoniam & pietatem veram sectentur, quoad quidem in hac naturæ infirmitate per Dei gratiam fieri potest. Hinc possunt utique quinque Auctoris articulis addi dogmata, unde, non dicam *MAGIS sinceri, MAGISq; pii*, sed *VERE SINCERI, & VERE PII evadant homines*. Qui enim Deo reconciliati non sunt, per quinque istos articulos hypocritæ, qui sinceri piique videri volunt; non autem verè sinceri & verè pii evadere possunt, uti dictum. Et dogmata illa possunt addi quinque istis articulis, non ex *rectâ*, ut vocatur, *communisq; ratione*, quæ in his talibus talpâ cæcior, sed ex *divinâ & supernaturali revelatione*, quæ ratione humanâ omnî superior est, ejusque defectum supplet.

CIX. Auctor adductæ à se rationi tertiæ subjicit, se *scire, plurimas ubique ferè gentium invulgari doctrinas, unde in spem veniæ citò adducantur peccatores; sed & doctrinas illas ingens so-*
latium

latium peccatoribus afferre: verum tamen heic licere, ne doctrina illa
(nisi ritè cantèq; explicentur) peccatoribus officiant, utpote qui ex
facili delictorum suorum condonatione ad volutabrum citius re-
vertantur, & in fœdiora subinde dilabantur crimina: dum enim ex
subsidiariâ operâ salutem suam impetrari posse credant, quæ ad suas
spectent partes, destituere eos ut plurimum vel negligere. Quibus si
ad doctrinam de Christo Mediatore ejusque satisfactione pro
peccatis, quâ fide apprehensâ peccatores Deo reconcilientur,
digitum intendit, eamque peccatoribus officere opinetur, quòd ex
subsidiariâ operâ, Christi Mediatoris scilicet merito & satisfac-
tione pro peccatis, salutem iis polliceatur, temeraria profe-
ctò, rationique naturali adversa, quin & impia erit ista ejus o-
pinio.

CX. Primum enim, ut per Christum Mediatorem ejusq;
satisfactionem pro peccatis ferventur peccatores, non homi-
num inventum, sed Dei sapientissimi institutum est; & doctrina
de reconciliatione hominis peccatoris cum Deo per fidem in
Christum commendatur in Scripturis, quòd sit SAPIENTIA
non seculi hujus, neque Principum seculi hujus, qui abolentur; sed
SAPIENTIA DEI in mysterio, occulta illa, QVAM PRÆFI-
NIERIT DEUS antefecula ad gloriam nostram, I. Cor. II. 6. In-
stituta autem à Deo Sapientissimo media salutis & patefactam
humanæ salutis causâ Sapientiam ejus humanæ rationis judicio
subjicere, & profitne? an obsit & officiat peccatorum sa-
luti, disquirere velle, non sapientis, non pii, sed vel ipsâ na-
turali ratione judice, insanientis, impij, temerarii hominis
est.

CXI. Deinde satisfactio Christi pro peccatis, fide appre-
hensa, licet peccatoribus absque ullâ ipsorum propriâ satisfac-
tione ad impetrandam Dei gratiam, remissionem peccato-
rum & salutem æternam facilem præbeat aditum, tantum ta-
men abest, ut viam ipsis aperiat, quâ post sui cum Deo recon-
ciliationem citò ad volutabrum revertantur, & in fœdiora di-
labantur crimina, ut, penitius considerata, eam potius incusso
metu iræ divinæ præcludat. Etenim si quid est, quod arden-
tissimam Dei iram adversus peccata, & justitiam illius in sce-
leribus

leribus vindicandis severissimam peccatoribus ob oculos po-
 nere, ejusque metu avocare illos à peccatis potest; Christi pas-
 sio acerbissima & mors ignominiosissima certè est, quâ pro
 peccatis nostris Deo Patri fecit satis. Si enim tam ardens fuit
 ira Dei adversus peccata, tamque severa in illis vindicandis ju-
 stitia ejus, ut ne proprio quidem Filio, in quo peccatum non erat,
 I. Joh. III. 6. I. Petr. I. 22. & quo nihil majus, nihil charius Deo
 esse poterat, pepercerit, sed ob peccata aliena, nostra scilicet,
 in mortem tam acerbam, tamque ignominiosam tradiderit,
 Rom. II. 32. quanto ardentior ira ejus, quanto severior justi-
 tia ipsius futura est in nos, ubi jam pretio emti, h. e. pretioso Chri-
 sti, velut agni immaculati & incontaminati sanguine redempti, ut
 non nobis, sed Deo viveremus, I. Cor. VI. 19. 20. I. Petr. I. 18. 19.
 ad volutabrum revertamur, & in foediora relabamur crimina?

CXII. Tertiò Christi passio & mors Deo nos non recon-
 ciliat, nisi FIDE apprehensa. Sic enim Deus dilexit mundum, ut
 Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis CREDIT IN
 EUM, non pereat, Joh. III. 16. Fides autem, quâ eam appren-
 dimus, non datur absque seria peccatorum agnitione, displi-
 centia, detestatione, & oborto hinc gravi animi dolore, neque
 est aut esse potest absque proposito à peccatis abstinendi, san-
 cteque vivendi. Quæ, dum non excutitur, ne ad volutabrum
 revertamur, & in foediora dilabamur crimina, ipsa etiam cavet.
 Pugnat enim per se & suapte naturâ cum studio peccandi. Quò
 pertinet, quod I. Joh. III. 9. dicitur: Qui natus est ex Deo, (na-
 scimur autem ex Deo, dum fide in Christum donamur) eum,
 non peccare (datâ operâ) quoniam semen ipsius in eo maneat, nec
 posse peccare, quòd (in quantum) ex Deo natus est. Quin & vi-
 res, quibus peccata fugere, & piè sancteque vivere queamus,
 fides in Christum affert. Per eam enim vivit in nobis Christus,
 qui tradidit semetipsum pro nobis, Gal. II. 20. à quo, velut palmites
 à vite, succum trahimus, ut novæ obedientiæ & pietatis fructum
 multum feramus, Joh. XV. 5. Per eandem emittit Deus Spiritum Fi-
 lii sui in corda nostra, Gal. IV. 6. qui sublevat infirmitates nostras,
 interpellat pro nobis (qui quid precemur, ut oportet, non novimus)
 suspiriis inenarrabilibus, clamat in cordibus nostris, & nos clamamus

per



per illum, *Abba*, id est, *Pater*, ibidem & *Rom. II. 15. 26.* ducit & agit nos, ut actiones corporis mortificemus, & peccata fugiamus, *Rom. II. 13. 14.* efficit in nobis & ut velimus & ut efficiamus (bonum) pro gratuita suâ benevolentia, *Philip. III. 13.* Et tantum de tertia etiam Auctoris ratione, quam frivolam & futilem esse, ex his nemo, puto, non intelligit.

COROLLARIA.

I.

Questio, an pro suâ liberâ voluntate Deus pœnitentibus, citra interventum satisfactionis, peccata condonare potuisset? plus habet curiositatis, quàm utilitatis.

II.

Sufficere nobis poterat & debebat, quòd ex Scripturis divinitus inspiratis, edocti certò novimus, Deum nolle peccatoribus propitium esse & peccata remittere, nisi per & propter Christum Mediatorem, ejusque sufficientissimam pro nostris & omnium peccatis satisfactionem.

III.

Patres veteres, qui alium nostræ liberationis modum, quàm per Christi satisfactionem, possibilem esse statuunt, Sociniani non patrocinantur. Præterquam enim quòd negant alium congruentiorem modum, quàm per Christi satisfactionem, fuisse possibilem, docent etiam uno ore omnes, Christum satisfecisse pro peccatis generis humani, & Deum nolle peccatoribus propitium esse & peccata remittere, nisi propter Christum Mediatorem, ejusque satisfactionem pro peccatis: quod contra Socinianos, Christi satisfactionem impugnantem, satis est.

IV. Præ.

IV.

Prædictæ tamen Patrum sententiæ, præter justitiam Dei immutabilem, non parum obesse videtur Christi passio & mors ut acerbissima, ita ignominiosissima, quâ pro peccatis generis humani satisfacit. Nam si quâ aliâ ratione, citra interventum satisfactionis pro peccatis nostris, liberari ab exitio potuissemus, sapientiæ divinæ prorsus consentaneum videtur, Deum parvum fuisse *Filio suo unigenito*, nec ita facile nullaque argente necessitate, eum nostri causâ tantis doloribus, cruciatibus mortique ipsi subjecturum, contra quàm *Paulus* testatur, Deum *Filio proprio non pepercisse, sed tradidisse eum pro nobis omnibus*, Rom. VIII. 32.

F I N I S.

EMENDANDA.

n. LX. lin. VII. dele *peccatoribus*. n. LXIX. lin. XVII. pro *Quod lege Quò*. n. LXXXIII. lin. IV. lege *sibi persuadeat*. n. XCVI. lin. ult. lege *à nobis*.



Fb 3341


ULB Halle 3
001 846 40X



TA-OC

Fb 3341





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

4.

3

THEOLOGICA

DE

STIONE,

nis naturæ & princi-

nis homo ad salutem

pertingere pos-

fit?

dam Scriptoris opinioni

opposita,

&

ÆS IDE

NE MUSÆO,

OL.D. & P.P.

ca ventilationi

subjecta,

CHRISTI

C LXVII.

Æ N Æ,

COBI BAUHÖFERI.

